ARTIS LOGICÆ

COMPENDIUM.

(1)



ARISTOTELES.

Apud Fulvium Ursinum in Marmore.



OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO,

An. Dom. MDCXCII.

PRÆFATIO.

§. 1. SI quis autore inſcio in hoc inciderit Compendium, ante omnia rogandus eſt, ne idcirco editum exiſtimet, quia typis excuſum videt. Quippe annis abhinc compluribus in gratiam deſideratiſſimi juvenis *F. C. Howard* diſcipuli olim mei inchoatum, illoque migrante, tertio in capite, eſt abruptum: Et fuiſſet (quod fortaſſe merebatur) æterna nocte damnatum, niſi boni quidam juvenes, & nimium amantes mei exſcriptu dignum judicaſſent; quorum ut labori parceretur, pauca pro eorum numero exemplaria, nec aliis deſtinata, ſunt impreſſa. Sed cum horum voluntati eatenus eſſem obſecutus, tam propenſam erga me benevolentiam ampliore quadam gratia demereri, haud abſurdum cenſui: præſertim, cum id ſibi gratum fore indicaſſet, magnum Ædis noſtræ ornamentum, *Carolus Boyle*; cujus ſingulari bonarum literarum ſtudio prodeſſe, magnopere quidem volo, deeſſe certe non debeo. Itaque relictum opus ad incudem denuo revocavi; & ſuſcepti olim oneris quod ſupererat, nunc tandem abſolvere conſtitui. Utiliſſimum autem arbitratus ſum, pauca quædam, de *Antiquæ Logicæ hiſtoria*, hunc in modum præfari.

§. 2. QUæ vocatur hodie *Philoſophia*, dicta olim *Sapientia* eſt; eamque profeſſi, faſtuoſo nomine σοφοί. In his, circa Cyri initia, Græci ſeptem præter cæteros, communi Antiquorum conſenſu, *Sapientes* habiti ſunt, & nominati. Quorum antiquiſſimus, & princeps *Thales*, Mileti natus eſt Ol. 35ª; mortuus 58ª; anno primo; quo & Crœſus dicitur flumen Halym illius opera trajeciſſe.

Thaletem ſenem, Mileti conveniſſe dicitur *Pythagoras*: magnus vir, magnoque Providentiæ dono genitus, in quo totas vires ſuas Natura experiretur. Cujus de patria, nihil certi; præceptore uſum *Pherecyde*, ſatis conſtat. Hic, cum univerſum pene orbem diſcendi ſtudio peragraſſet, in Italiam venit regnante Superbo; & Crotone Scholam aperuit: σοφῶν primus qui ſe φιλόσοφον appellari maluit; tanta verecundiæ autoritate, ut deinceps cæteri idem nomen uſurpantes, ſapientiam ſequi præ ſe ferrent, conſecutos eſſe non jactarent.

A Thalete & Pythagora institutæ sunt Philosophorum *Sectæ Capitales* duæ. Nam *Ionicam* Thales Ion instituit; *Italicam*, qui in Italia docuit, Pythagoras. Hæc Ionica paulo erat recentior, & multo minus diuturna: interiit enim circa tempus Aristotelis; saltem si illius auditori credamus Aristoxeno, qui apud Laertium, Pythagoreorum ultimos se vidisse testatur. Successorem habuit Pythagoras *Telaugem* filium; quem audivit notus ille *Empedocles*, *Rhetoricæ artis* inventor. Hujus condiscipulo *Xenophani* successit *Parmenides*; illi, *Zeno Eleates*: qui cum ratione & via differere primus instituerit, autorem eum *Artis Dialecticæ* statuimus, Aristotelem secuti.

§. 3. QUam invenit artem, tribus partibus constabat; prima, de *Consequentiis*; secunda de *Colloquio*; tertia de *Contentione*. De priori, obscura quædam extant, apud Platonem in Parmenide, ex ipso ut videtur Zenonis libro descripta; quorum mentem quando Socrates se negat intelligere, ego libenter ignoro; nec si possem divinare, operæ pretium puto: sufficere arbitror, quod hæc novæ artis pars, vivente etiam Zenone, *inutilis quædam & importuna garrulitas*, habita est, & nominata; post Zenonem vero, à nemine quod sciamus exculta.

Pars altera de *Colloquiis*, sive *Dialogis*, adeo avide ab omnibus est arrepta, ut antiquum, & ad illa usque tempora receptum, tradendæ *carmine* Philosophiæ morem deseruerint. Colloquendi autem ea erat ratio, ut qui vellet aliquid probare, non (quod nos facimus) Syllogismos totos proponeret, verum alteram solummodo præmissam: quippe arbitratu suo colloquentem secum interrogabat; & accepto ad singulas quæstiones responso, per concessa perveniebat ad propositum. Quæ quidem differendi ratio cum à plerisque pene sola probaretur, factum inde est *Argumentationi* nomen ἐρώτησις; quique *argumentum proponeret* ἐρωτῆσαι λόγον dicebatur; & συνερωτῆσαι τινὰ idem prorsus valebat quod nobis hodie *Disputare*. Plura dicere nihil attinet, quando extant Platonis Dialogi, quosque illum imitatus Cicero tanta arte contexuit, ut non desideremus præcepta, quæ de hac re Zeno conscripsit.

Pars tertia, quæ & Ars ἐριστικὴ dicta est, ad litem tota erat comparata; ejusque scopus, non tam adversarium convincere, quam impedire: proposita scilicet interrogatione ad quam esset difficile sine incommodo respondere; ut qui temere respondisset, sua se concessione tanquam laqueo sentiret implicitum. Respondenti igitur summa cautione opus erat, ut pa-

ratas sibi insidias præsentire posset & effugere: unde tenui hac velitatione, qua nihil videtur otiosius, magnum tamen ingenii acumen cum ostendi, tum etiam comparari posse Zeno censebat.

§. 4. ZEnonem quadragenarium, cum adesset una Parmenides annos quinque & sexaginta natus, juvenem admodum Socratem convenisse, tradit Plato. Erat autem *Socrates* ex Ionica secta, *Archelai* Physici discipulus, Sectæ suæ magister post Thaletem quintus. Sub finem Ol. 77ᵃ natus; sub initium 95ᵃ mortuus. Relicto Physicæ studio, cui propemodum soli decessores ejus incubuerant, Ethicam præsertim excoluit: nam in cæteris artibus & scientiis ita est versatus, ut hanc non ante præponeret quam illis esset imbutissimus; adeo ut Rhetoricam oppugnans, causam vicerit eloquentia. Omnium doctissimus, nihil scripsit: Philosophiæ parens, nusquam scholam aperuit: nihil se scire nisi id ipsum dixit, quem sapientissimum omnium Apollo judicavit, spectata quantum nusquam alias Oraculi fide.

Ex illius consuetudine mirum quot prodierint Philosophi, quamque præter cæteros illustres: magna encomio materia, si id sineret instituti ratio: Nunc tribus contenti sumus, sectarum trium conditoribus, Platone, Antisthene, Euclide.

Plato Athenis non sine miraculo si Laertium audimus natus est, Ol. 88ᵃ. Vir (si virum appellare fas est) omni Philosophiæ, Matheseos, Eloquentiæ, Virtutis laude cumulatus. Scholam habuit Athenis in suburbano *Academiam*; fuerat enim Herois *Academi*, vel (ut alii) *Ecademi*, unde *Ecademia* primo dicta est. Sectam instituit *Academicam*. Aristotele discipulo clarior quam ille Alexandro. Anno uno & octogesimo scribens mortuus est.

Partem Logicæ nuper inventæ secundam præter cæteras excoluit; conscriptis tanta arte Dialogis, quanta sese explicare potuit consummata scientia, cum divina quadam dicendi facultate conjuncta. Quod si pauca excipias præcepta quæ Dialogis obiter intexuit, ad instaurandam *Artem Logicæ* nihil amplius contulisse videtur. Ne voluisse quidem verisimile est, si recte Cicero, *factam esse ab aliquibus differendi artem, quam Socrates minime probabat*. Fuere tamen qui universam qua nos utimur Logicam, perspectam illi esse contenderent; quia nempe sic disputat, ut quæ affert argumenta in omne genus Syllogismos converti possint: quasi id non sit in communi etiam sermone necessarium, siquis velit cohærenter loqui.

§. 5. Euclides Megarensis (alius à Megarensi illo Geometriæ Magistro) sectam instituit quæ initio *Megarica*, post, à Dialecticæ studio dicta est *Dialectica*. Tantus in eo Philosophiæ amor, ut cum vitæ discrimine Socratem quotidie conveniret: erat enim Megarensibus illo tempore capitale si Athenis deprehenderentur. Itaque noctu, obvelato capite, amictu muliebri, per viginti & amplius milliaria, & pedibus, & tamen venit.

Placuit illi præter cæteras pars tertia Logicæ Zenonis; ut illi multa tribuenda sint quibus Stoici deinceps claruere: *Mentiens*, *Obvelatus*, *Acervalis*, *Cornutus* &c. Sophismatum formulæ quæ veteribus multum facessebant negotii; quanquam *Achillem*, & fortasse plures ipse Zeno invenit. Horum exempla, & quam inepta sint, vide Libro hujus Compendii secundo, capite quarto.

§. 6. Prope portas Urbis in Gymnasio Cynosarge scholam habuit *Antisthenes Cynicorum* pater; de quo præclarum extat Xenophontis in Symposio testimonium. Successorem habuit *Diogenem Canem*; hic *Cratetem* Thebanum, abjectis in mare opibus illustrem; cujus discipulus *Zeno Cittiensis Stoicorum* sectam condidit. Nam cum doceret ἐν τῇ στοᾷ quadam, nempe Pisianactea, inde sectæ nomen. Clarus Ol. 120, cum durasset annos exinde 40, senex admodum decessit.

Fertur Antisthenes librum unum scripsisse περὶ τῆς διαλέκτου: Successores ejus ejusdem argumenti infinita pene volumina, quæ magno rei literariæ bono periere. Sed hoc recte Stoici, quod Rhetoricam statuerent partem esse Dialecticæ; quas pariter differre Zeno censuit atque contracta manus ab expansa. De Rhetorica itaque scripsere, Cicerone judice satis infeliciter: De Logica nihilo melius. Dandum tamen est illorum celebritati ut quid profecerint videamus.

Ordiuntur à *Voce*; cujus gratia, ipsa Grammaticæ elementa repetunt & vexant; Quot sint *literæ*, Quid sit *Nomen*, intellige proprium; Quid *Appellatio* h. e. nomen appellativum; Quid *Verbum*; Quid *Conjunctio*; Quid *Articulus*; quinque partes orationis exquisite docent: Quid sit porro *Dialectus*; Quæ orationis *virtutes*; Quæ contra *vitia*; Quid denique *Poëma*; aliaque ejus generis infinita: Tum de *Definitione*, *Divisione*, *Genere*, *Specie*, *Ambiguis*, magna moliuntur.

Posthæc de *Rebus significatis*, quas in animo esse docent, multiplici sensuum ministerio impressas. Quæ in τῷ ἡγεμονικῷ Intellectu scilicet fit impressio φαντασίαν dici volunt; (nam

phantasmata non vocant præter ea quæ furentibus videntur, aut somniantibus) atque hanc, si clara & distincta sit, *comprehensivam* καταληπτικὴν appellant; & normam veritatis esse statuunt, utpote imaginem rei veræ riteque perceptæ.

Hanc cum effertur, sive Verbo, sive Oratione, λεκτὸν *Dictum* appellant. Unde Dictum aliud *Imperfectum*, quem nos *Terminum simplicem* diceremus; & *Perfecti* species duæ, *Axioma* & *Syllogismus*. *Axioma* est, quod nobis *Propositio*; eodemque fere quo apud nos modo definitur & dividitur: *Syllogismum*, præter *Hypotheticum* non videntur agnovisse. Quo deterius factum est, quod cum hæc non initio docerent, sed post inventam & perfectam ab Aristotele Artem Logicam, ab eo tamen merito repudiata retinerent, quasi repertis frugibus, glande vescerentur.

Sed illud pessimum, quod Sophismatis supra modum indulgerent, nugisque illis nugacissimis pene toti incumberent; quodque nec vere negare, nec sine magno humanæ mentis opprobrio confiteri possumus, Sectæ propemodum omnes in eandem insaniam sunt prolapsæ: unde nova quædam *Sophistarum* hæresis est exorta, qua nec importunior ulla, nec (quod pudet dicere) numerosior.

§. 7. HOnestum igitur initio *Sophistarum* nomen tandem ad eos transiit, qui non indagandæ veritatis studio, sed pompæ, quæstus, victoriæ, litis gratia disputarent. Hi in disputando id plerumque agebant, ut Respondens cogeretur vel 1° *Seipsum redarguere*; h. e. sibi contradicere, quod dedisset retractando; vel 2° Dare quod esset manifesto *falsum*; vel 3° Dare aliquid *Paradoxum*, sive præter communem sententiam; vel 4° Facere *Solæcismum*; vel 5° denique *Nugari*; h. e. aliquid dicere quod ad rem non faceret, vel si faceret, esset ante dictum. Unde quinque vocabantur *Sophistarum metæ*, *Redargutio*, *Falsum*, *Inopinabile* sive Paradoxum, *Solæcismus*, *Nugatio*.

Has ut attingerent, utebantur plerumque Syllogismis veros mentientibus; quibus incautum Respondentem *capere*, laudi ducebant; & si ad primam metam pervenissent, quæ Græce dicitur *Elenchus*, id vero serio triumphabant. Hinc itaque factum ut *Fallacia* h. e. quilibet Syllogismus ad fallendum adhibitus, diceretur etiam *Captiosus*, *Sophisticus*, *Sophisma* item & *Elenchus*.

In hoc propemodum statu erat res Dialectica circa tempus Aristotelis; de quo deinceps est dicendum.

§. 8. **N**Atus est Stagyræ *Aristoteles* Macedoniæ oppido, Ol. 99ª; anno primo; quo & Romæ M. Manlius Capitolinus è Tarpeia rupe dejectus est. Statura erat mediocri, voce balba, parvis oculis, cruribus exilibus, Ingenio supra humanam sortem admirabili; sed præcone alieno non indiget quem τ̃ Νῦν Plato appellavit. Pretiosa veste (Curiæ ut videtur obsecutus) annulisque utebatur; seque tondebat, contra quam solerent Philosophi.

Athenas venit anno ætatis suæ 18º, seque in *Platonis* disciplinam tradidit, quem viginti annis audivit. Hoc defuncto ad *Hermiam* Atarnensium tyrannum commigravit; ejusque filiam in matrimonium duxit. Hoc itidem mortuo, post biennium, Mitylenen concessit; & rursus post biennium ad *Philippum Macedonem* venit; filiumque ejus *Alexandrum* per octennium instituit. Post Philippi mortem Athenas rediit, & in *Lycei Peripato* Scholam aperuit; quam cum 13. annis tenuisset, Euboeæ *Chalcidem* profectus, anno tertio Ol. 114, ætatis suæ climacterico, morbo decessit. Sunt qui eodem anno *Demosthenem* quoque mortuum volunt.

A Platone desciviſſe Aristotelem (quanquam inter utriusque doctrinam aut omnino nihil, aut certe parum interesset) Sectamque propriam condidisse, notum est: quæ exinde *Peripatetica* vocabatur, quod & Ipse, & ipsius exemplo successores ejus deambulantes disputarent. Dum in Asia maneret, cum erudito quodam Judæo versatum, ab illo multa hausisse, idque se (si bene memini) audiente confessum, discipulus ejus insignis *Clearchus* prodidit. Hinc tanta illius Philosophiæ cum sacris literis consensio.

Sed ut cætera mittamus quæ non sunt hujus instituti, "Primus mortalium Aristoteles certum Logicæ *finem* constituit; *præcepta* in ordinem redegit; singulari artificio *integræ artis methodum* contexuit; uno verbo, quam invenit Logicam, tam feliciter perfecit, ut in hunc usque diem, per annos circiter bis mille, perpetuis clarissimorum virorum studiis exculta, nihil prorsus acceperit incrementi.

§. 9. **S**Uccessorem *Tyrtamum* designavit Aristoteles, quem à divina illa qua pollebat eloquentia, *Theophrastum* nominavit. Post hunc alii quorum nomina recensere nihil attinet, longo ordine subsecuti. Undecimus ab ipso Aristotele *Andronicus Rhodius* Magistri sui opera, in eum quo habentur ordinem digessit: eodem fere tempore quo Athenis *Cratippum* Ciceronis filius audivit. Circa annum Christi 140 Interpretum princeps *Galenus* floruit, Ἐξηγητὴς sive *Expositor*

xyl

κατ' ἐξοχὴν dictus. A. D. 325. Claruit Porphyrius non tam Philosophiæ studio celebris, quam Christianorum odio infamis. Hujus scripta primo Constantinus M. postea Theodosius II. prohibuit. Superest tamen præter alia nonnulla, Εισαγωγὴ ejus ad Categorias, quæ plerumque Aristotelis operibus præfigi solet. Anno Domini 525. occisus est *Boetius*; qui primus Aristotelis Logicam Latine convertit.

Post aliquot annos ingruentibus Barbaris, literatura pene omnis est oppressa: ut nihil mirere, si in tantis Reipublicæ fluctibus, rari admodum Philosophi, velut in gurgite vasto nantes apparuerint. In his fuere, sub annum Christi 800 *Joannes Damascenus*; sub 1000, *Eustathius* & *Eustratius*; sub 1100, *Michael Ephesius*, & *Michael Psellus*; sub 1200, *Georgius Pachymerius*: singuli suo tempore, commentariis, cum in alia Aristotelis opera, tum in *Organum* (h. e. Logicam) præsertim editis, illustres.

§. 10. PEr eadem fere tempora claruere *Arabes*; qui Græcorum scriptis in sermonem patrium conversis, totam pene Philosophiam ab interitu vindicabant. Horum princeps, si ipsos audimus Arabes, *Alfarabius*; nobis autem notiores *Avicenna* atque *Averroës*; hic præsertim, qui Aristotelis opera egregie præter cæteros illustrando, *Commentatoris* nomen fecit suum. Dictu autem incredibile est, quam sit apta ad tradendam Philosophiam lingua Arabum; in qua, quæ Latine dicere (sine summa saltem barbarie) non possumus, non accurate solum eloqui, verum etiam eleganter licet. Horum beneficio, cum Hispania Mauri potirentur, Aristoteles Arabs eodem commigravit: cumque ex Arabico Latinè versus, Occidenti innotescere cæpisset, tantæ omnibus admirationi fuit, ut post aliquot annos, autoritate publica cautum esset, nequis Aristoteli contradiceret.

Hinc omne deinceps studium explicando Aristoteli insumtum est; in hoc, Schola omnis versabatur, huic qui incumberent, dicti sunt *Scholastici*; quorum historiam non meis, sed *Sandersoni* verbis accipe.

§. 11. INsecutum est (inquit) brevi, *Seculum Scholasticum*; in quo Logica & Philosophia Peripatetica à plurimis fuit illustrata; stylo quidem ineleganti, nec elaborato, sed quem abunde compensavit admirabilis judicii profunditas, & in rebus perscrutandis omnino felix subtilitas.* Post *Alexandrum ab Ales* Anglum, (qui Pater Scholasticorum habetur) Logicalia scripserunt *Albertus Magnus*, *Thomas*, *Scotus*, *Burlæus*, *Occam*, &c. Qui hos secuti, in varias postea Sectas sunt divisi: dum

* Hales, ut aliqui volunt.

dum alii *Scotistæ*, alii *Thomistæ*, *Nominales* alii, alii *Reales* dici voluerunt. Sed Scholasticis illis præsertim vetustioribus (degeneres enim illi qui in *Summulis* & *Sophistria* omne ævum ineptierunt, indigni sunt qui locum inter Logicos sortiantur) tantum debet Logica, quantum fere aliis hominibus nullis. Sane illud optandum fuisset, ut non heterogenea sæpius infarsissent; & Quæstiones Theologicas, Physicas, Metaphysicas in Logica determinandas proposuissent.

Scholasticorum plerisque qui reconditioris subtilitatis aut judicii habebantur, cognomina quædam indita sunt à discipulis suis: quæ quoniam celebria sunt in Scholis, facturi videbamur rem non ingratam si hic attexeremus; etsi non sint omnes Logici.

1 *Alexander ab Ales*	*Doctor*	1 *Irrefragabilis.*
2 *S. Thomas Aquinas*		2 *Angelicus.*
3 *Johannes Duns Scotus*		3 *Subtilis.*
4 *S. Bonaventura*		4 *Seraphicus.*
5 *Henricus de Gandavo*		5 *Solennis.*
6 *Gualterus Burlæus*		6 *Planus.*
7 *Gulielmus Occam*		7 *Invincibilis.*
8 *Ægidius Romanus*		8 *Fundatissimus.*
9 *Thomas Bradwardinus*		9 *Profundus.*
10 *Joannes de Baccono*		10 *Resolutus.*
11 *Franciscus Mayronis*		11 *Illuminatus.*
12 *Adamus de Marisco*		12 *Illustris.*
13 *Petrus Aureoli*		13 *Facundus.*
14 *Joannes Bassolis*		14 *Ordinatissimus.*
15 *Alexander Saxo*		15 *Illibatus.*
16 *Gerardus Odonis*		16 *Moralis.*
17 *Antonius Siretus*	*Magister*	17 *Formalitatum.*
18 *Petrus Lumbardus*		18 *Sententiarum.*
19 *Petrus Comestor*		19 *Historiarum.*
20 *Petrus Hispanus*		20 *Summularum.*
21 *Averroes*		21 *Commentator.*
22 *Petrus de Abano*		22 *Conciliator.*
23 *Suicetus*		23 *Calculator.*

§. 12. CApta tandem à Turcis Constantinopoli die Maii 29. A. D. 1453, migrantes incolæ quas habebant Græcorum veterum reliquias secum in Occidentem transtulere. Ex illo itaque tempore, incredibili literarum bono, Platonem, Aristotelem cæterosque non alieno Interpretum sermone balbos, sed suis verbis quasi nobiscum colloquentes audimus.

Hactenus de Historia Logicæ. Nunc ad Artem ipsam veniamus, ex mente Aristotelis tradendam.

ARTIS LOGICÆ

COMPENDIUM.

ARTEM Logicam duobus Libris ita ſcribere inſtitui, ut quæ in ea ſcitu ſunt neceſſaria, brevi & perſpicuo opere complectar. Quare ſequar licet Ariſtotelem, eandem quam Scholaſtici ſolent viam non inſiſto; ſed quibuſdam prætermiſſis, ita explico cætera, ut cum præceptis una eorum quoque ratio demonſtretur: eaque utor Methodo quæ mihi videtur commodiſſima ut totius Logicæ ſcopus, quoque ad eum modo partes ſingulæ colliment, à juvenibus facile percipiatur.

Primus itaque Liber continet *Præcepta Logica* ſex Capitibus comprehenſa. Suntque Tituli

1. *De Terminis Simplicibus.*
2. *De Propoſitione Categorica pura.*
3. *De Syllogiſmo Categorico puro.*
4. *De Propoſitionibus & Syllogiſmis Hypotheticis.*
5. *De Syllogiſmo quoad materiam.*
6. *De Methodo.*

Secundus vero Liber continebit *Penum Logicam* ſex itidem Capitibus comprehenſam ſuntque Tituli

1. *De ſeriebus Prædicabilium cognatorum ſive* Prædicamentis.
2. *De axiomatibus ad Demonſtrationem utilibus.*
3. *De axiomatibus Syllogiſmo Topico inſervientibus.*
4. *Solutio difficilium Syllogiſmorum.*
5. *Determinatio Quæſtionum Logicarum.*
6. *De uſu Logicæ.*

LIB. I.

CAP. I. *De Terminis Simplicibus.*

§. 1. MEntis operationes in universum tres sunt. 1. *Simplex Apprehensio.* 2. *Judicium.* 3. *Discursus.*

1. *Simplex Apprehensio* est nudus rei conceptus intellectivus, similis quodammodo perceptioni sensitivæ; sicut enim *imago* rei est in oculo ita *Idea* in animo: estque *Incomplexa* vel *Complexa.*

Apprehensio simplex Incomplexa, est unius objecti, ut *calami*, vel etiam plurium confuse; ut *calami*, *manus*, &c. *Complexa* plurium, sed cum ordine quodam & respectu; ut *calami in manu.*

2. *Judicium* est quo mens non solum percipit duo objecta, sed quasi pro tribunali sedens, expresse apud se pronuntiat, illa inter se convenire aut dissidere.

Est enim Judicium aliud *Affirmativum*, quod vocatur etiam *Compositio*; aliud *Negativum* quod & *Divisio*.

Porro tam particula *Est* quæ affirmando convenientiam exprimit, quam *Non-Est* quæ negando Dissidium, appellatur *Copula*: (sicut & Grammatica *conjunctiones Disjunctivas* habet;) atque hanc sub determinatione cognoscendo differt Judicium ab Apprehensione complexa.

E. g. Si quis dixerit *Triangulum æquilaterum esse æquiangulum*, possum Apprehensione simplici incomplexa intelligere quid sibi velint singula Orationis hujus vocabula, complexa vero quid tota sibi velit Oratio: Quin & ipsius Naturæ lumine intelligo, Duo quælibet objecta vel inter se convenire, vel non convenire, & proinde altera Copularum esse jungenda; Nondum tamen feci judicium donec Copulam determinaverim, i. e. apud meipsum statuerim hæc Duo Objecta Triangulum æquilaterum & Triangulum æquiangulum hac Copula *Est* non autem altera *Non-Est* oportere conjungi.

3. *Discursus* est motus sive progressus mentis ab uno Judicio ad aliud; quod & Ratiocinium dicitur; & significatur Copula Illativa, qualis est *Ergo* aut alia similis. v. g. *Qui est extra fortunæ potestatem est beatus. Sapiens est extra fortunæ potestatem* Ergo *Sapiens est beatus.*

Singulis operationibus sui accidunt defectus. Apprehensioni, *Indistinctio*; Judicio, *Falsitas*; Discursui, *Mendosa Collectio*. Quæ cum Sapientes animadverterent, & opportuna illis remedia excogitassent, præcepta sua in unum compegere; eorumque Scientiam dixere *Logicam*, sive *Artem Rationis*.

Est igitur *Logica* Ars instrumentalis dirigens mentem in cognitione rerum: ejusque partes tres sunt, pro operationibus mentis quas dirigit. 1. *De Simplici Apprehensione*. 2. *De Judicio*. 3. *De Discursu*.

§. 2. QUoniam vero inter docendum & disputandum neque res aliqua, neque conceptus cui subjacet commode in medium afferri potest; necesse est vicaria utrisque signa substituere, quorum usum idoneum docendo Logica mentem una ad bene operandum instruit.

Hujusmodi signa apud homines recepta sunt *Voces*: Nam *Vox* est signum rei vel conceptus ex instituto vicarium: & in significando primo quidem *declarat* conceptum, deinde *supponit* pro re. Dico autem *ex instituto* quia soni inarticulati, vocesque quas Natura sponte suggerit extra artem censentur.

Jam quæ simplicem Apprehensionem exprimit *Vox Simplex* est; quæ Judicium, *Complexa*; quæ Discursum, *Decomplexa*. Nam argumentum omne resolvitur in tres *Propositiones*, sive sententias, & propositio omnis complectitur voces, non semper numero, sed sensu semper tres; 1. *Subjectum*, sive de quo aliud dicitur. 2. *Prædicatum*, sive id quod dicitur. 3. *Copulam*, quæ utrisque media intercedit. Nam Subjectum & Prædicatum quoad sensum semper extrema sunt, & vocantur ideo *Termini propositionis*.

Atque hinc adeo vulgo dicitur Pars prima Logicæ versari circa *terminos simplices*, i. e. voces simplices Apprehensionem simplicem exprimentes: secunda circa *Propositionem*, sive Vocem complexam quæ Judicium exprimit: tertia vero circa *Syllogismum* sive Vocem decomplexam qua Argumentatio sive Discursus exprimitur.

§. 3. PRima igitur pars Logicæ, versatur circa *terminos simplices*; i. e. ejusmodi voces quæ solitariæ in propositione prædicari vel subjici possunt & vocantur ideo *Categorematicæ*, ut *homo*, *lapis*. Quædam enim Vocabula sunt tantum *Syncategoremata* sive compartes Subjecti aut Prædicati, ut *omnis*, *nullus*; Quædam etiam mixta, ut *semper*,

A 2 i. e.

i. e. omni tempore; *Nemo*, i. e. nullus homo; *Currit*, i. e. eſt currens; quo etiam modo verbum omne Grammaticum reſolvi poteſt.

Verbum igitur *Logicum*, (nempe *purum*) præter Copulam nullum eſt: cætera ex participio & copula coaleſcunt.

Nomen Logicum eſt terminus ſimplex ſine tempore ſignificativus. Nam ex antedictis *terminus ſimplex* idem valet atque Vox articulata & recta & ex inſtituto ſignificans: ſiquidem excluſæ ſunt voces inarticulatæ quaſque natura ſponte ſuggerit; voces autem obliquæ ſunt Syncategoremata.

Multæ ſunt Nominis diviſiones ſed inſtituto noſtro in præſentiarum ſufficiunt tres

1. *Nomen ſingulare* eſt quod rem unam & ſolam ſignificat; ut *Socrates*. *Commune* quod plura & eorum ſingula ſignificare poteſt; ut *homo*, *ſol*.

2. *Univocum* eſt cujus una ſignificatio æque convenit multis; ut *homo*. *Æquivocum* cujus diverſæ; ut *Gallus*. *Analogum* cujus una inæqualiter; ut *pes*. Vox ipſa dicitur *Univocum Univocans*; res ſignificata *Univocum Univocatum*, & ſic de cæteris.

3. Nomen *primæ intentionis* eſt vox in communi uſu poſita; *ſecundæ*, Vox artis quam ex communi ſermone deſumptam Philoſophia recudit denuo & moderatur.

§. 4. VOx Singularis dicitur alio nomine *Individuum*, ejuſque ſignificatum *Unum numero*: neque enim ſingulare eſt quicquid Unum dici poteſt; ſed multa quæ ſunt invicem ſimilia, eatenus Unum cenſentur. Vocantur enim uno eodemque nomine; quod ipſa Vocis definitio non patitur, niſi in illis reipſa ſit, vel ſaltem concipi poſſit una aliqua eademque Natura quæ huic nomini reſpondeat.

Talem reperit intellectus dum plura contemplando *abſtrahit* ab eorum differentiis; i. e. ſpectat in rebus ea tantum quæ conveniunt, neglectis omnibus quibus diſſident; adeoque fundamentum omne diſcriminis præter numerum eximit. Quare naturam ſic abſtractam cum ſit omni ſingulorum differentiæ ſuperſtes, concipi par eſt non ut in ſingulis diverſam, ſed ut in omnibus eandem; adeoque *Univerſale* quiddam ſive *Ens unum in multis*: ejuſque ſignum idoneum erit Nomen *commune*, *Univocum*, *Secundæ intentionis*, uno verbo *Prædicabile*, ſive Vox apta prædicari i. e. Univoce dici de multis.

§. 5. Præ-

§. 5. PRædicabilium capita conſtitui & definiri poſſunt ad hunc modum. Quicquid in multis reperiri poteſt vel eſt tota eorum eſſentia, vel ejus pars, vel cum eſſentia conjunctum. Quare Univerſalia vel (quod eodem redit) Prædicabilia ſunt quinque, & non plura; viz. *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, *Accidens*.

Nam 1. *Genus*, eſt quod prædicatur de pluribus ut eorum eſſentiæ *pars materialis* ſive communis; ut *animal*. 2. *Differentia*, quæ ut eſſentiæ *pars formalis* ſive diſcretiva; ut *rationale*. 3. *Species*, quæ ut tota eſſentia; ut *homo*. 4. *Proprium*, quod ut eſſentiæ junctum neceſſario; ut *riſibile*. 5. *Accidens*, quod ut eſſentiæ junctum contingenter; ut *album*, *nigrum*, *ſedere*.

Patet hinc 1° De iis *dici Prædicabile* quibus *ineſt Univerſale*. *Genuſque* adeo quod eſt plurium eſſentiarum vel ſpecierum pars communis, de *ſpecie differentibus*, h. e. de diverſis ſpeciebus quas ingreditur dici; ut *animal* de *homine* & *bruto*. *Speciem* vero de *numero differentibus*, h. e. de diverſis individuis, quorum ſingula habent eſſentiam ſpeciei vocabulo ſignificatam; ſic *homo* de *Socrate* & *Platone* dicitur, & de omnibus quibus natura ineſt humana. Reliqua vero Prædicabilia (prout inferius patebit) eadem de cauſa tam de ſpecie quam numero differentibus dicuntur.

Et NB ex recepto more loquendi Genus & Speciem *prædicari in* (i. e. reſpondere quæſtioni factæ per) *Quid*; Differentiam in *Qualequid*; Proprium & Accidens in *Quale*. Unde facile eſt conficere Vulgatas Prædicabilium definitiones. Nam *Genus* definitur *Prædicabile quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in Quid*. *Differentia* quod *de pluribus ſpecie vel numero differentibus in Qualequid* &c.

Patet 2° *Genus* eſſe *Totum* quiddam, nempe *Logicum*, ſive in modo loquendi; quatenus continet (i. e. prædicationis ambitu complectitur) ſpecies tanquam *partes* ſui *ſubjectivas*. *Speciem* quoque *Totum* eſſe, nempe *Metaphyſicum*, ſive in modo concipiendi; quatenus continet (i. e. ad perfectionem ſui poſtulat) Genus, tanquam *partem* ſui *eſſentialem*. Unde Differentia Generi accedens dicitur *Genus* ipſum *dividere* quatenus ejus ſignificata diſtinguit, & *ſpeciem conſtituere* quatenus ejus eſſentiam complet.

§. 6. G*Enus* aliud *Summum* aliud *Subalternum* eſt: *Species* quoque in *Subalternam* & *Infimam* diſtinguitur. Genus ſummum eſt quod nulli, Species infima quæ omni

omni *cognato Generi* ſubjicitur: Genus vel Species ſubalterna quæ & cognato Generi ſubjicitur, & de cognata Specie prædicatur. Voco autem *Cognata* quæ ex iiſdem Individuis perpetua abſtractione colliguntur; ut *Homo, Animal, Vivens, Corpus, Subſtantia:* quæ ex *Socrate, Platone* &c. expurgatis continue differentiis oriuntur.

Quare 1. *Differentia* eſt vel *Generica*, quæ conſtituit Speciem Subalternam; vel *Specifica*, quæ infimam: hæc eſt quæ de numero differentibus, illa quæ de ſpecie differentibus prædicatur. Exempla *Senſibile* & *Rationale*.

2. *Proprium* quoque vel *Genericum* eſt, quod neceſſario comitatur eſſentiam Generis ſummi vel ſubalterni; atque ex illa adeo fluere atque oriri dicitur: vel *Specificum* quod fluit ab eſſentia ſpeciei infimæ: Illud itaque de pluribus ſpeciebus, hoc de una ſpecie & pluribus Individuis prædicatur. Exempla *Mobile* & *Riſibile*.

Proprium tamen aliunde quadrifariam dicitur. 1. Quod convenit ſoli ſed non omni; ſcil. ſoli Speciei ſed non omni ejus Individuo; ut *homini eſſe Grammaticum*. 2. Quod omni ſed non ſoli; ut *homini eſſe bipedem*. 3. Quod omni & ſoli ſed non ſemper; ut *homini caneſcere*. 4. Quod omni, ſoli, & ſemper; ut *homini riſibilitas*. Hujuſmodi Proprium eſt quod conſtituit Quartum Prædicabile.

Accidens cum eſſentiæ junctum ſit contingenter, adeſſe igitur vel abeſſe poteſt, ſalva interim eſſentia ſubjecti: cui tamen aliquando tam tenaciter inhæret, ut cogitatione ſola divelli atque ſeparari poſſit; ut *Mantuanum eſſe à Virgilio*. Quare vocatur *Inſeparabile*. Quod autem actu ſive reipſa ſeparari poteſt; ut albedo à pariete dicitur *Separabile*.

§. 7. QUemadmodum Vox Singularis dicitur *Individuum*, ita & Communis *Dividua* dici poteſt. Eam enim per Metaphoram dividere dicitur, qui plura ejus ſignificata recenſet, nam in uno multa diſtinguit. Ita qui *animal* dicit *eſſe* (i.e. vocabulum animal *ſignificare*) *hominem* & *brutum*, dicitur *animal in hominem brutumque dividere*.

Quare *Diviſio* eſt diſtincta enumeratio plurium quæ communi nomine ſignificantur. Eſtque analoga diſtributio totius in partes. Unde & nomen ipſum Commune dicitur *Totum Diviſum*, & diſtincta ejus ſignificata, *Partes*, ſive *membra dividentia* & bene Dividendi leges ſtatuuntur tres.

1. Divi-

1. Dividentia sigillatim minus contineant (i. e. arctius significent) quam Divisum. Nam Totum est majus partibus singulis. 2. Dividentia conjunctim plus minusve ne contineant quam Divisum. Nam Totum est æquale partibus universis. 3. Membra Divisionis sint opposita (i. e. in se invicem ne contineantur) nam sine distinctione frustra est partitio.

§. 8. Divisionem excipit (quæ per Metaphoram quoque dicitur) *Definitio*; cujus est assignare conceptus & voces, quibus ea quæ ab invicem distincta volumus, velut agrorum fines ex limitibus suis dignoscantur. Quæ cum definitis notiora esse debeant magisque obvia, Definitio vulgo dicitur *Oratio explicativa definiti*. *Oratio* inquam ut à nomine distinguatur; *Explicativa* quoque nam & nomen *exprimit*.

Definitio alia *Nominalis* est, quæ vocis significationem aperit; alia *realis* quæ rei naturam. *Realis* iterum vel *Accidentalis*, sive *Descriptio* quæ definito accidentia (puta causas, effectus, proprietates aliaque id genus) assignat; vel *Essentialis*, quæ partes essentiæ constitutivas. *Essentialis* denique vel *Metaphysica* sive *Logica*, quæ Genus & Differentiam; vel *Physica* quæ partes Essentiæ physicas i. e. realiter distinctas: nam Genus & Differentia sola mente distinguuntur.

E. g. Definitur homo *Nominaliter* qui ex humo. *Accidentaliter* Animal bipes implume. *Metaphysice* Animal rationale. *Physice* Ens naturale constans corpore organico & anima rationali.

Bonæ Definitionis leges potissimum tres sunt.

1. Definitio sit adæquata definito: alias non explicat definitum. Quæ enim angustior est explicat tantum *partem*, cum definitum sit *totum*; quæ laxior explicat *totum*, cum definitum sit tantum *pars*. 2. Ut *per se* clarior sit & notior definito: alias non explicat omnino. Dico tamen *per se*, quia *per accidens* potest minus intelligi quod notius est sua natura. 3. Ut justo vocum propriarum numero absolvatur: nam ex Metaphoris oritur ambiguitas, ex nimia brevitate obscuritas, ex prolixitate confusio.

LIB. I. CAP. II. *De Propositione Categorica pura.*

§. 1. SEcunda Pars Logicæ agit de *Propositione* sive *Enuntiatione*; quod est signum secundæ operationis Intellectus, sive Judicium verbis expressum.

Quare ad Propositionem legitimam requiritur

1. Quoad vocem ut sit *Oratio affirmans vel negans*, quæ est ejus *essentia*.

2. Quoad sensum ut *verum vel falsum significet* (id scil. quod res est vel secus dicat) quod essentiæ necessario nexum, & proinde *proprietas* est. Unde &

3. Non est ambigua; sic enim orationes esset. Nec 4. Solæca vel mutila; sic enim nihil significaret.

Quare ea demum Propositio legitima censebitur, quæ juxta definitionem vulgatam est *Oratio Indicativa, congrua, & perfecta, verum vel falsum significans, sine ambiguitate.*

§. 2. EJus Divisiones variæ sunt;

1. *Categorica* est quæ enuntiat absolute; ut *Homo est risibilis. Hypothetica* quæ sub conditione; ut *si Homo est rationalis est risibilis. Vel dies est vel nox.*

Quod Categorica dicit nihilo nexum est, quasi per se subsistens: quod Hypothetica, conditioni substat. Unde & hæc Divisio peti dicitur à *Substantia* Propositionis; & per ejus membra respondetur interroganti *Quæ est Propositio?*

Categorica rursus dividitur in *puram & Modalem*. Hypothetica in *Conditionalem, Disjunctivam* &c. Categorica pura, sive *Propositio de inesse*, est, quæ pure affirmat vel negat; i. e. simpliciter dicit Prædicatum inesse vel non inesse subjecto; ut *Homo est animal. Homo non est lapis.* Modalis quæ cum *Modo*, h. e. vocabulo exprimente quomodo Prædicatum insit subjecto; ut *Necesse est hominem esse animal. Impossibile est hominem esse lapidem.* De Categorica pura & quidem sola in præsentiarum loquor, de cæteris alibi dicturus.

2. *Affirmativa* est cujus Copula affirmativa est; ut *Homo est animal. Non progredi est regredi. Negativa*, cujus negat; ut *Homo non est lapis. Nullus avarus est dives. Vera*, quæ quod res est dicit; ut *Homo est animal. Falsa*, quæ

secus;

ſecus; ut *Homo eſt lapis*. Et cum per haſce ſpecies bene reſpondeatur interroganti *Qualis eſt Propoſitio* (reſpondent enim per Differentiam & Proprium quæ in quale prædicantur) dicuntur hæ duæ diviſiones peti à *Qualitate* Propoſitionis. Prior à *Qualitate Vocis*, ſive *Eſſentiali*; Poſterior à *Qualitate rei*, ſive *Accidentaria*.

3. *Univerſalis* eſt quæ ſubjicit terminum communem (cum ſigno univerſali, *omnis*, *nullus* &c. adeoque) pro univerſis ſuis ſignificatis diſtributive ſumptum. *Particularis*, quæ terminum communem (cum ſigno particulari *aliquis*, *quidam* &c. adeoque) ex parte tantum ſignificantem. *Singularis*, quæ vocem (vel ſponte, vel ex ſigno ſaltem) Individuam; ut *Socrates* legit, *Hic homo eſt doctus*. *Indefinita*, quæ (terminum communem ſine ſigno & proinde) ancipitem: nam manente formula, vim recipit diverſam; ut *Homo eſt Animal*, nempe *omnis*: *Homo eſt doctus*, *Aliquis* ſcil.

Petitur hæc Diviſio à *Quantitate* Propoſitionis; nempe numero eorum pro quibus ſubjectum ſupponit: unde & per has ſpecies bene reſpondetur interroganti *Quanta ſit Propoſitio?* Hanc doctrinam Scholaſtici hujuſmodi carmine ſunt complexi; *Quæ? Ca.* vel *Hyp. Qualis Ne* vel *Aff. Quanta? Uni. Par. In. Sing.*

§. 3. PRopoſitio Singularis in Syllogiſmo æque poteſt Univerſali. Nam Subjectum ejus ſupponit pro omni ſuo ſignificato. *Socrates eſt homo* Univerſalis eſt, quia omnis ille Socrates tantum unus eſt. Indefinitæ quantitas judicatur ex materia Propoſitionis ſive habitudine connexionis extremorum quæ triplex eſt; 1. *Neceſſaria*, quando extrema eſſentialiter conveniunt; 2. *Contingens*, quando accidentaliter tantum; 3. *Impoſſibilis*, quando eſſentialiter differunt. Unde Propoſitio Indefinita pro Univerſali habetur, in materia impoſſibili & neceſſaria; pro Particulari vero in contingenti.

Quare Quantitas Propoſitionis, quatenus ad Syllogiſmum facit eſt duplex; *Univerſalis* & *Particularis*. Et nota, quod Univerſalis affirmans ſymbolum habet A; negans E: Particularis affirmans ſymbolum I, negans O.

Aſſerit A; negat E: Univerſaliter ambæ
Aſſerit I; negat O: ſed Particulariter ambo.

In Univerſali, ſignum affirmans diſtribuit tantum Subjectum: Negans, etiam Prædicatum. Nam ut verum ſit *Omne a eſt b*, ſufficit aliquod *b* convenire omni *a*: ſed falſum

ſum eſt *nullum a eſſe b*, ſi vel aliquod *b* conveniat alicui *a*. Eodem argumento, ut ſit verum *Aliquod a eſt b*, ſufficit ſi vel aliquod *b* conveniat alicui *a*: ſed falſum eſt quod *aliquod a non eſt b*, niſi illud *a* differat à quovis *b*. Et proinde

In Particulari, nullus terminus diſtribuitur, præter negantis prædicatum, quod ſemper diſtribuitur.

Quanquam igitur fieri poteſt ut prædicatum diſtribuatur in affirmante, tamen non eſt neceſſarium; ſed *per accidens* fit, & *virtute ſignificati*, non *virtute ſigni*. In ſtatuendis autem Propoſitionum legibus, ſpectandum eſt id tantum quod ſtructura poſtulat, non quicquid ſenſus admittit: cum illud eſſentiale, & perpetuum ſit; hoc mutabile, & incertum.

Hæc igitur regula generalis eſto, quod in Propoſitione A, ſubjectum tantum diſtribuitur; in O tantum Prædicatum; in I neutrum; in E utrumque.

§. 4. PRopoſitionibus accidunt *Oppoſitio* & *Converſio*. *Opponi* dicuntur duæ, quæ cum ſubjecta habeant & prædicata omnino eadem, Quantitate tamen, vel Qualitate vocis, vel utraque pugnant.

Oppoſitionis doctrina tota Colligitur & Demonſtratur ex appoſito Schemate, in quo A. E. I. O. ſunt quatuor propoſitiones quantitate ſua & qualitate ſignatæ: quæ ſunt *v. f.* (hoc eſt, *veræ* vel *falſæ*) pro materia *n. i. c* (hoc eſt, *neceſſaria*, *impoſſibili*, *contingente*,) quod ex ipſa materiæ definitione ſatis patet. De *neceſſaria*; quia Propoſitionis extrema in ea eſſentialiter conveniunt: De *impoſſibili*; quia in ea eſſentialiter differunt: De *contingenti*; quia ſecus non eſſet materia contingens. Inſpecto igitur hoc Schemate facile eſt.

n. v. i. f. c. f.	A	Contrariæ	E	f. n. v. i. f. c.
	Subalternæ	Contradictoriæ / Contradictoriæ	Subalternæ	
n. v. i. f. c. v.	I	Subcontrariæ	O	f. n. v. i. v. c.

1. Oppoſitionis *ſpecies* numerare; quæ ſunt vulgo quatuor: *Contradictoria*, *Contraria*, *Subcontraria*, *Subalterna*.

2. Singularum definitiones conficere. v. g. *Oppoſitio Contradictoria eſt inter* (A. O. vel E. I. hoc eſt) *duas Categoricas quantitate pariter & qualitate pugnantes*. *Contraria*

ria inter (A. E. h. e.) *duas universales qualitate pugnantes* &c.

3. Oppositarum Canones quatuor eruere & demonstrare hunc in modum.

	Sunt Oppositæ.	simul veræ. in materia	simul falsæ in materia	una vera, falsa alt. in materia
1	Contradictoriæ A O. vel E. I.	nulla.	nulla.	quacunque.
2	Contrariæ A. E.	nulla.	contingenti.	necessaria. vera A. falsa E. impossibili. vera E. falsa A.
3	Subcontrariæ I. O.	contingenti.	nulla.	necessaria. vera I. falsa O. impossibili. falsa I. vera O.
4	Subalternæ A.I. vel E.O.	necessaria A. I. impossibili E.O.	impossibili A. I. necessaria E. O.	contingenti. A E falsæ I O veræ.

"Possunt etiam aliter hi Canones Oppositarum, cum pluribus aliis, tum hoc quoque modo demonstrari.

"1. Contradictoriæ A. O. vel E. I. nec *simul veræ* nec *simul falsæ* esse possunt. Quod enim una negat, idem altera de eodem, secundum idem, affirmat: Id vero fieri nec natura patitur, nec sensus ipse communis. Quare.

"α. Si Universalis vera sit, particularis quæ sub ea continetur vera est. Et

"β. Si Particularis falsa sit, Universalis quæ eam continet falsa est: Quoniam enim Subjectum in Universali distribuitur; fit ut in ea, & in Particulari, idem, de eodem, secundum idem, dicatur: vere igitur & falso simul dici, (hoc est, affirmari simul & negari) nequit.

"2. Contrariæ A. E. non possunt esse *simul veræ*: sed in materia contingenti sunt *simul falsæ*. Nam. 1°. Exponatur Universalis vera; Ergo particularis vera per 1. α; Ergo quæ particulari contradicit falsa per 1. Sed hæc est Expositæ contraria.

"2°. Exponatur Universalis de materia contingenti; Ergo & hæc falsa est, & Particularis vera, vi materiæ: Ergo quæ particulari contradicit falsa per 1. Sed hæc est expositæ Universali contraria.

"3. Subcontrariæ I. O. *simul falsæ* esse non possunt: sed

"*simul veræ*, vel *una vera*, *falsa altera*, esse possunt. Sunt "enim duæ duarum Contrariarum Contradictoriæ, ut in "schemate patet, cum contrariis decussatim comparandæ. "Quare. (per 1. & 2.) Subcontrariæ sunt in nulla materia "simul *falsæ*; quia Contrariæ in nulla *simul veræ*. Subcon-"trariæ in contingenti simul veræ; quia Contrariæ in eadem "simul falsæ. In impossibili vero, & necessaria, Eadem utris-"que lex est, ut sit una vera, falsa altera.

"4. Subalternæ A. I. vel E. O. & *simul veræ*, & *simul* "*falsæ*, & *una vera*, *falsa altera*, esse possunt. Nam 1°. "Si subalternans (nempe Universalis) vera sit, Subalternata "(sive Particularis) vera est (per 1. α.) 2°. Si Subalternata "falsa, ergo Subalternans falsa (per 1. β.) 3°. Si Subalternans "falsa, Ergo quæ illi contradicit, vera (per 1.) Ergo hujus "Subcontraria, quæ est Expositæ subalternata, vera vel fal-"sa esse potest (per 3.) 4°. Si Subalternata vera, Ergo quæ "illi contradicit falsa (per 1.) Ergo hujus Contraria, quæ est "expositæ Subalternans, vera vel falsa esse potest (per 2.)

§. 5. CONVERTI dicitur Propositio, cujus extrema transponuntur. Variis id modis fieri potest, sed præsertim duobus: 1. *Simpliciter*, quando tam quantitas, quam utraque qualitas servatur. 2. *Per accidens*, quando servata qualitate, quantitas mutatur.

FEcI Simpliciter convertitur EvA per Acci
& conversio utrobique illativa est.

Nam 1. sit vera E, puta *Nullum A est B*: ergo (cum uterque terminus distribuatur,) quodvis A differt à quovis B. Ergo vicissim: Ergo *Nullum B est A*. 2. Sit vera I: Ergo falsa est ejus Contradictoria E: Ergo & contradictoriæ simpliciter conversa: Ergo quæ conversæ contradicit, (i. e. expositæ simpliciter conversa) est vera. 3. Sit vera E: Ergo & ejus simpliciter conversa: Ergo & conversæ subalternata: quæ est expositæ conversa per accidens. 4. Sit vera A: Ergo & ejus subalternata: Ergo & subalternatæ simpliciter conversa: quæ est expositæ per Accidens.

Cæteræ Conversiones, cum sint partim ambiguæ, partim falsæ, partim ad præcepta Syllogismorum inutiles, in Logica negliguntur.

LIB. I. CAP. III. *De Syllogiſmo Categorico puro.*

§. 1. TErtia pars Logicæ agit de *Argumento* ſive *Syllogiſmo* quod eſt ſignum tertiæ operationis intellectus; nempe *Diſcurſus*, vel *Ratiocinium* Propoſitionibus expreſſum.

Quare cum Diſcurſus ſit progreſſus mentis ab uno judicio ad aliud, perſpicuum eſt in eo requiri 1. Aliquid unde diſcurſus ordiatur. 2. Aliud quo perveniat. 3. Ea ſic ab invicem pendere, ut unum ex alio, & alius vi innoteſcat; ſecus enim, unum poſt aliud cognoſcere, eſt tantum ſæpe judicare.

Jam ex quo aliud cognoſcendum eſt, ipſum certe præcognoſci debet; & proinde quaſi ſine diſcurſu notum, *antecedere*, *poni*, *præmitti*; & ex eo reliquum *concludi*, *colligi*, *inferri* & *ſequi* dicitur. Eſt autem duplex *conſequentia*

1. *Materialis*; quando ex Antecedente Conſequens infertur, ſola vi Terminorum, quæ eſt *Argumenti materia*: ut, *homo eſt animal* Ergo *eſt vivens*.

2. *Formalis*, quando infertur propter ipſum colligendi modum, quæ eſt *argumenti forma*; ut *B eſt A*. *C eſt B* Ergo *C eſt A*. Mutatis terminis & ſervata eorum diſpoſitione, Materialis plerumque fallit, Formalis ſemper obtinet: & proinde hæc ſolum in Logica ſpectatur, illa tanquam mutabilis & lubrica negligitur.

Hiſce intellectis, opinor ſatis conſtare quo ſenſu definiatur *Syllogiſmus*, *Oratio in qua poſitis quibuſdam atque conceſſis neceſſe eſt aliud evenire præter & propter ea quæ poſita ſunt atque conceſſa.*

§. 2. MUltæ ſunt ejus ſpecies; ſed una tantum præſentis inſtituti; nempe *Categoricus ſimplex* i. e. qui conſtat tribus Propoſitionibus de ineſſe. E quibus duæ priores ſunt Antecedens, tertia Conſequens; quæ extra Syllogiſmum ſpectata (ſcil. quamdiu hæret in incerto) *Problema*, & *Quæſtio* dicitur; in Syllogiſmo autem (nempe poſt fidem factam) *Concluſio*. Quæſtionis duo ſunt extrema, Subjectum & Prædicatum; quorum de Convenientia vel Diſſidio inquiritur, ope termini alicujus tertii; idque propter Canones ſequentes, in quibus vis omnis Syllogiſtica fundatur.

1. Quæ

1. Quæ conveniunt in uno aliquo eodemque tertio, ea conveniunt inter se.

2. Quorum unum convenit, alterum differt uni & eidem tertio, ea differunt inter se.

3. Quæ non conveniunt in uno aliquo eodemque tertio, ea non conveniunt inter se.

Sunto enim A & C, nec assignari possit ejusmodi tertium, Ergo nihil habent commune; Ergo non conveniunt inter se.

4. Quorum neutri inest quod non sit in alio, ea non differunt inter se.

5. Quæ non probantur convenire in uno aliquo eodemque tertio, ea non probantur convenire inter se. Dubitari enim potest utrum detur ejusmodi tertium, & dubitatio ista non tollitur.

6. De quibus non probatur, convenire unum eidem alicui tertio cui alterum differt, ea non probantur differre inter se. Dubitari enim potest utrum detur ejusmodi tertium; h.e. utrum alterutri insit quod non est in reliquo; & dubitatio ista non tollitur.

§. 3. EX sex hisce Principiis Syllogismi structura sic deducitur.

1. In omni Syllogismo sunt tres & tres tantum termini. Nam Syllogismus omnis probat aliquam conclusionem: Et in illa sunt duo tantum extrema: Et illa neque convenire, neque differre probatur, sine uno, unoque tantum tertio.

Jam Prædicatum Quæstionis, dici solet *majus extremum*, *major terminus*; Subjectum Quæstionis, *minor*; Terminus vero tertius cui quæstionis extrema comparantur, Aristoteli *Argumentum*, vulgo *Medium*: Nam Prædicatum Quæstionis plerumque amplius est Medio; hoc minori.

2. In omni Syllogismo sunt tres & tres tantum Propositiones. Duæ præmissæ, in quibus Medium cum extremis seorsim conferatur (nempe *Major*, in qua cum majori; *Minor* in qua cum minori;) una *Conclusio*, in qua extrema invicem committantur.

NB. 1. Quod Major dici solet simpliciter *Propositio*; Minor, *Assumptio*. 2. Quod Medium non ingreditur conclusionem, alias idem per idem probaretur; adeoque non essent tres termini.

3. Ancipiti medio nihil conficitur. Neque enim affertur in hoc casu unum aliquod idemque tertium vel in quo extrema

trema conveniant, vel cui unum conveniat, alterum differat.

4. Medium non diſtributum eſt anceps. Eſto enim B terminus communis in b & β diviſibilis; Ergo b & β ſunt oppoſita: & tamen vere dicitur Aliquod B eſt b & Aliquod B eſt β. Quare aliquod B eſt Medium anceps.

5. Quare Medium in præmiſſis ſemel ad minimum diſtribui debet; ſufficit tamen ſi vel ſemel diſtribuatur. Nam 1. ad probandum A eſt C conveniat C alicui B, & A omni; Ergo eidem alicui B: Ergo affertur unum aliquod idemque tertium &c. 2. ad probandam A non eſt C conveniat C alicui B, & A differat omni; Ergo eidem alicui B: Ergo affertur &c.

6. Proceſſus ab extremo non diſtributo in præmiſſis, ad idem diſtributum in concluſione vitioſus eſt. Nam ex *aliquo* non ſequitur *Omne*. Eſto enim verum quod aliquod; Ergo poteſt eſſe verum quod aliquod non; (nam Subcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ:) Ergo de aliquo poteſt affirmari quod non de omni. Eſto rurſus verum quod aliquod non; Ergo poteſt eſſe verum quod aliquod: Ergo de aliquo poteſt negari quod non de omni.

7. Præmiſſis negantibus nihil probatur. Affertur enim tertium cui utrumque extremum differt; non autem cui vel utrumque conveniat, vel unum conveniat alterum differat.

8. Si præmiſſarum altera ſit negativa, erit etiam Concluſio. Nam præmiſſarum reliqua eſt affirmativa: Ergo extremorum unum differt medio, alterum convenit: Ergo extrema differunt inter ſe: Ergo concluſio eſt negativa.

9. Contra ſi Concluſio ſit negativa erit etiam altera præmiſſarum. Nam extrema differunt inter ſe: Ergo eorum unum convenit medio, alterum differt: Ergo præmiſſarum altera affirmat, reliqua negat.

10. Præmiſſis particularibus nihil probatur. Nam præmiſſarum altera affirmat: Ergo in illa medium non diſtribuitur: Ergo diſtribui debet in reliqua: Ergo illa eſt negativa in qua medium prædicatur. Ergo concluſio negativa: Ergo prædicatum ejus diſtribuitur, quod in præmiſſis non eſt diſtributum; Fuit enim vel affirmativæ terminus alter, vel ſubjectum negativæ; horum vero nullus diſtribuitur.

11. Si præmiſſarum altera particularis ſit, concluſio quoque particularis eſt. Sit enim 1. Præmiſſarum altera particularis affirmativa: Ergo in illa nec extremum ſuum nec medium

dium distribuitur: Ergo medium distribuitur in reliqua, quæ etiam Universalis est, sitque 1. Affirmativa: Ergo in illa medium subjicitur, & extremum medio attributum non distribuitur: Ergo neutrum extremorum distirbuitur in præmissis: Ergo neutrum in conclusione: Ergo conclusio particularis affirmativa est. Sit 2. Negativa: Ergo conclusio negativa: sed debet habere extremum non distributum: Ergo particularis negativa est.

Sit 2. Præmissarum altera particularis negativa: Ergo Reliqua Universalis affirmativa: Ergo in præmissis duo tantum termini distribuuntur: Ergo alterum extremorum non distribuitur: Ergo Conclusio habet extremum non distributum: Ergo cum negativa sit, erit etiam particularis.

12. Quod si Conclusio particularis sit, non necesse est præmissarum alteram particularem esse. Fieri enim potest ut instituto meo sufficiat subalternata, quando subalternans potuit inferri. Et cum illæ sint simul veræ, liberum est utramvis inferre. Quanquam stricte loquendo, Argumentatio ista non est accurata; nam Subalternatæ veritas non immediate deducitur ex præmissis, sed ex subalternante.

Syllogismi generales regulas complectitur hoc Tetrastichon,

Distribuas medium; nec quartus terminus adsit.
Utraque nec præmissa negans, nec particularis.
Sectetur partem Conclusio deteriorem.
Et non distribuat, nisi cum præmissa, negetve.

§. 4. SUperest per hasce regulas inquirere quot modis componi possunt tres Propositiones de inesse, ut Syllogismum conficiant. Qua in inquisitione duo spectanda sunt.

1. *Modus*, sive legitima determinatio Propositionum secundum Quantitatem & Qualitatem.

2. *Figura*, sive legitima dispositio Medii cum partibus Quæstionis.

Modi sunt in universum 64. Nam ut supra ostensum est, ad Syllogismum faciunt Propositiones tantum quatuor A. E. I. O. Quare concipi potest Quadruplex tantum Major in Syllogismo; cuilibet vero Majori quadruplex tantum Minor adjungi; unde 16. paria præmissarum: & singulis præmissis quadruplex tantum Conclusio; unde 64. Modi Syllogismorum.

AAA. AAE. AAI. AAO. * AEA. AEE. AEI. AEO. * AIA. AIE. AII. AIO. * AOA. AOE. AOI. AOO.

EAA. EAE. EAI. EAO. * EEA. EEE. EEI. EEO. * EIA. EIE. EII. EIO. * EOA. EOE. EOI. EOO.

IAA. IAE. IAI. IAO. * IEA. IEE. IEI. IEO. * IIA. IIE. III. IIO. * IOA. IOE. IOI. IOO.

OAA. OAE. OAI. OAO. * OEA. OEE. OEI. OEO. * OIA. OIE. OII. OIO. * OOA. OOE. OOI. OOO.

Ex his excluduntur ſedecim per Regulam 7, propter præmiſſas negantes, viz. EEA. EEE. EEI. EEO. * EOA. EOE. EOI. EOO. * OEA. OEE. OEI. OEO * OOA. OOE. OOI. OOO. Duodecim per Reg. 10. propter præmiſſas particulares, viz. IIA. IIE. III. IIO. * IOA. IOE. IOI. IOO. * OIA. OIE. OII. OIO. Duodecim per Reg. 8. quia præmiſſarum altera negat, ſed non Concluſio, viz. AEA. AEI. AOA. AOI. * EAA. EAI. EIA. EII. * IEA. IEI. * OAA. OAI. Octo per Reg. 11. quia præmiſſarum altera particularis eſt, ſed non concluſio, viz. AIA. AIE. AOE. * EIE. * IAA. IAE. IEE. * OAE. Denique quatuor per Reg. 9. quia concluſio negativa eſt ſed neutra præmiſſarum, viz. AAE. AAO. AIO. * IAO.

Excluduntur igitur in univerſum Modi 52 = 16 + 12 + 12 + 8 + 4. è quibus multi contra plures regulas peccant, quamvis una tantum notetur.

Superſunt (64 -- 52 =) 12 Modi ad Syllogiſmum utiles, viz. AAA. AAI. AEE. AEO. AII. AOO. * EAE. EAO. EIO. * IAI. IEO. * OAO.

§. 5. Figuræ Syllogiſmorum ſunt 4. Nam Medium quod cum utroque extremo comparatur, vel 1. ſubjicitur majori & tribuitur minori, & fit *figura prima*; vel 2. tribuitur utrique, & fit *ſecunda*; vel 3. ſubjicitur utrique, & fit *tertia*; vel 4. tribuitur majori & ſubjicitur minori, & fit *quarta*. Quæ omnia ſequenti Schemate declarantur.

Diſpoſitio trium terminorum. Scil. majoris A. medii B. minoris C. in Figura

1	2	3	4
B. A.	A. B.	B. A.	A. B.
C. B.	C. B.	B. C.	B. C.
C. A.	C. A.	C. A.	C. A.

Quare quælibet Figura excludit adhuc ſex modos. Nempe 1. Propter Medium non diſtributum. Prima duos IAI. OAO. Secunda quatuor AAA. AAI. AII. IAI. Quarta duos AII. AOO.

2. Propter

2. Propter proceſſum majoris illicitum. Prima quatuor AEE. AEO. AOO. IEO. Secunda duos IEO. OAO. Tertia quatuor AEE. AEO. AOO. IEO. Quarta duos IEO. OAO.

3. Propter proceſſum minoris illicitum. Tertia duos AAA. EAE. Quarta duos AAA. EAE.

Superſunt Modi certo & neceſſario concludentes 24. ſex in qualibet Figura.

I.

*b*A*r*	Omne B eſt A	*c*E	Nullum B eſt A
*b*A	Omne C eſt B: *Ergo*	*l*A	Omne C eſt B: *Ergo*
*r*A	Omne C eſt A.	*r*E*nt*	Nullum C eſt A.
*d*A	Omne B eſt A	*f*E	Nullum B eſt A
*r*I	Aliquod C eſt B: *Ergo*	*r*I	Aliquod C eſt B: *Ergo*
I	Aliquod C eſt A.	O	Aliquod C non eſt A.
A	Omne B eſt A	E	Nullum B eſt A
A	Omne C eſt B: *Ergo*	A	Omne C eſt B: *Ergo*
I	Aliquod C eſt A.	O	Aliquod C non eſt A.

II.

*c*E*ſ*	Nullum A eſt B	*c*A*m*	Omne A eſt B
A	Omne C eſt B: *Ergo*	E*ſ*	Nullum C eſt B: *Ergo*
*r*E	Nullum C eſt A.	*tr*E*s*	Nullum C eſt A.
*f*E*ſ*	Nullum A eſt B	*b*A*r*	Omne A eſt B
*t*I	Aliquod C eſt B: *Ergo*	O*k*	Aliquod C non eſt B *Ergo*
*n*O	Aliquod C non eſt A.	O	Aliquod C non eſt A.
E	Nullum A eſt B	A	Omne A eſt B
A	Omne C eſt B: *Ergo*	E	Nullum C eſt B: *Ergo*
O	Aliquod C non eſt A.	O	Aliquod C non eſt A

III.

*d*A*r*	Omne B eſt A	*f*E*l*	Nullum B eſt A
A*p*	Omne B eſt C: *Ergo*	A*p*	Omne B eſt C: *Ergo*
*t*I	Aliquod C eſt A.	*t*O*n*	Aliquod C non eſt A.
*d*I*ſ*	Aliquod B eſt A	*b*O*k*	Aliquod B eſt A
A*m*	Omne B eſt C: *Ergo*	A*r*	Omne B eſt C: *Ergo*
I*s*	Aliquod C eſt A.	*d*O	Aliquod C non eſt A.
*d*A*t*	Omne B eſt A	*f*E*r*	Nullum B eſt A
I*ſ*	Aliquod B eſt C: *Ergo*	I*ſ*	Aliquod B eſt C: *Ergo*
I	Aliquod C eſt A.	O*n*	Aliquod C non eſt A.

IV.

brAm	Omne A est B	*cAm*	Omne A est B
An	Omne B est C: *Ergo*	*En*	Nullum B est C: *Ergo*
tIp	Aliquod C est A.	*Es*	Nullum C est A.
dI	Aliquod A est B	*fEſ*	Nullum A est B
mA	Omne B est C: *Ergo*	*Ap*	Omne B est C: *Ergo*
rIs	Aliquod C est A.	O	Aliquod C non est A.
frEſ	Nullum A est B	A	Omne A est B
Iſ	Aliquod B est C: *Ergo*	E	Nullum B est C: *Ergo*
On	Aliquod C non est A.	O	Aliquod C non est A.

*Barbara, Celarent, Darii, Ferio*que, prioris:
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroko, ſecundæ:
Tertia *Darapti, Diſamis, Datiſi, Felapton,*
Bokardo, Feriſon, habet: Quarta inſuper addit
Bramantip, Camenes, Dimaris, Feſapo, Freſiſon.
Quinque *Subalterni* totidem *Generalibus* orti
Nomen habent nullum, nec ſi bene colligis uſum.

§.6. ATque omnes quidem 24 eatenus concludere, quod in iis convenientia vel diſſidium extremorum certo atque neceſſario colligatur, ex Principio primo & ſecundo abunde conſtat. Certum eſt igitur, extremorum unum de altero ibi affirmandum, hic negandum eſſe: ſed poteſt adhuc dubitari utrum illud ſit? Poſito enim quod duo termini conveniant, vel differant, non ſtatim ſequitur alterutrum de reliquo prædicari.

. Facilis eſt ſolutio, ſi ex ſecunda parte repetatur, 1. Quod in propoſitione *A* ſubjectum tantum diſtribuitur; in *O* tantum prædicatum; in *I* neutrum; in *E* utrumque. 2. Quod Subalternata neceſſario ſequitur ex ſua ſubalternante.

In Modis igitur nominatis, termini concluſionis rite diſponuntur. Nam 1. Quando concluditur in A, patet ex Schemate, quod Extrema ſunt *Aliquòd A* & *Omne C*: Ergo C ſubjicitur. 2. Quando in E, extrema ſunt *Omne A* & *Omne C*: Ergo alterutrum ſubjici poteſt: Ergo quod in Schemate rite ſubjicitur. 3. Quando in I, extrema ſunt vel *Aliquod A* & *Aliquod C* (ut in omnibus præter Bramantip) unde alterutrum ſubjici poteſt, adeoque quod in Schemate rite ſubjicitur; vel *Omne A* & *Aliquod C* (ut in Bramantip) in quo cum alterutrum poſſit, tamen C ſubjicitur, ut diſtinguatur hic modus ab innomine AAI in prima. 4. Denique Quando in O, extrema ſunt *Omne A* & *Aliquod C*: Ergo C ſubjectum eſt.

Modi vero innomines probantur, per nominatos, & Regulam Subalternarum. Nam innomines concludunt *de aliquo*; singulis vero respondent nominati, *de Omni* concludentes, ex iisdem præmissis, & in eadem figura.

§. 7. IDem aliter & melius demonstrat Aristoteles ad hunc modum.

Statuit primo Theorema quod Scholastici vocant *Dictum de Omni & Nullo*; scil. "Quod prædicatur Universaliter de "alio (i. e. de termino distributo) sive affirmative, sive negative, prædicatur similiter de omnibus sub eo contentis."

Admisso hoc Theoremate (quod Axioma sponte perspicuum est) constat una, modos quatuor priores in prima certo atque necessario concludere. Nam eorum major ostendit majus extremum prædicari de medio distributo; & minor, minus extremum sub medio contineri.

Quare Modi quatuor prædicti nihilo penitus indigent quo necessitas conclusionis appareat, præter ea quæ in præmissis posita sunt; & proinde quatuor illi sunt præ cæteris evidentes. Nam cæteri omnes aliquo vel aliquibus egent, quæ utcunque per præmissas necessaria, in Syllogismo tamen non exprimuntur. Quare illos Aristoteles *perfectos*, hos *imperfectos* dicit; Scholastici *directos*, & *indirectos* vocant: quia per illos, ad conclusionem velut ad scopum recta itur; per reliquos eodem perveniri potest, prius tamen alio deflectendum est.

Perfici igitur & *revocari* atque *reduci* dicimus indirectos, cum per modum aliquem directum illationis suæ vim demonstrant. Et definitur *Reductio*, imperfecti Modi in perfectum mutatio, quo necessitas illationis fiat ex inevidenti evidens. Fiet autem, quando evidenter (h. e. in prima) ostenditur conclusionem vi præmissarum vel 1. Talem esse; vel 2. aliam esse non posse. Unde Reductio est vel *ostensiva* vel *ad impossibile*.

Utriusque praxin pro Modis nominatis docent ipsa Modorum nomina à Scholasticis in hunc finem conficta. Nam in iis tres vocales sunt totidem Propositiones Syllogismi sua quantitate & qualitate signatæ. Consonæ initiales B. C. D. F. notant modum primæ ad quem fit Reductio. S. P. propositionem quam vocalis proxime antecedens designat esse in Reductione convertendam; S simpliciter; P per accidens. M transponendas esse præmissas. K reductionem fieri per impossibile, i. e. pro præmissa cujus symbolo adhæret, sumendam esse Conclusionis contradictoriam. Quibus ex præscripto

ſcripto factis, colligetur in prima concluſio vel expoſitæ eadem, vel eam inferens, vel præmiſſæ contradictoria, ut in exemplo.

cEs	Nullum A eſt B		cE	Nullum B eſt A
Ar	Omne C eſt B: *Ergo*	ad	lA	Omne C eſt B: *Ergo*
E	Nullum C eſt A.		rEnt	Nullum C eſt A.
dIs	Aliquod B eſt A		dA	Omne B eſt C
Am	Omne B eſt C: *Ergo*	ad	rI	Aliquod A eſt B: *Ergo*
Is	Aliquod C eſt A.		I	Aliquod A eſt C.
bAr	Omne A eſt B		bAr	Omne A eſt B
Ok	Aliq. C non eſt B: *Ergo*	ad	bA	Omne C eſt A: *Ergo*
O	Aliquod C non eſt A.		rA	Omne C eſt B.

§. 8. REductionis oſtenſivæ validitas ſic oſtenditur. Ex præmiſſis reducendi, per converſionem imperatam, neceſſario colliguntur præmiſſæ reducti: atque ex iis, per figuram primam, concluſio reducti; quæ vel ipſa concluſio reducendi erit, vel per illativam converſionem fiet.

Reductionis per Impoſſibile validitas ſic oſtenditur. Quoniam præmiſſæ ex hypotheſi ſunt ſemper veræ, Ergo Contradictoria præmiſſæ nunquam vera: Ergo Contradictoria concluſionis nunquam vera: (Nam has ſimul veras eſſe demonſtratur in Barbara) Ergo Contradictoria concluſionis ſemper falſa: Ergo Concluſio ipſa ſemper vera.

Reducitur etiam quilibet modus innominis, facto quod præcipitur ad præmiſſas ſui ſubalternantis. Tum vero concluſio quæ colligetur in prima, erit vel expoſitæ ſubalternans, vel in expoſitam per accidens convertetur.

Reductiones cum primæ ad reliquas, tum earum ad ſe invicem, bene multas, quod & obviæ ſint, & inſtituto meo minus neceſſariæ prætermitto. Illud tamen notatu dignum eſt, quod cum *Darii* ad *Cameſtres*, & *Ferio* ad *Ceſare* reducatur per Impoſſibile, Uterque igitur ad *Celarent*; omniſque adeo modus reducitur ad duos univerſales primæ.

§. 9. PErſpicuum eſt ex antedictis

I. Syllogiſmos ſimplices, certo atque neceſſario concludentes, fieri 24 modis: 6 in qualibet figura.

II. ET in aliquo iſtorum modorum probari poſſe concluſionem quamlibet de ineſſe: nempe A uno modo, E quatuor, I ſeptem, O duodecim. Et rurſus; in prima, con-

cluſionem quamcunque: In ſecunda, omnes & ſolas negativas: In tertia, omnes & ſolas particulares: In quarta quamlibet præter A. De præmiſſis denique, quod in prima & ſecunda Major ſemper Univerſalis eſt; in prima & tertia, minor Affirmativa: In ſecunda, præmiſſarum altera Negativa: aliaque ejuſmodi; quæ ipſa Modorum nomina ſatis indicant.

Atque hinc facile colligitur, inſpecto Schemate Modorum, quali medio probanda ſit Quæſtio omnis de ineſſe. e. g. Quæſtio A probatur in *Barbara*; medio, de quo prædicatum quæſtionis univerſaliter affirmatur, quodque de ſubjecto quæſtionis affirmatur itidem univerſaliter: & ſic de cæteris.

Adverte tamen quod imperite diſputantis eſt afferre modum innominem; ponet enim in præmiſſis pluſquam opus eſt ad concluſionem. Quare & innomines hactenus ſunt neglecti; quamvis negari nequeant, ſicubi per inſcitiam adhibeantur.

Adverte etiam quod figura quarta tribus cæteris deterior eſt; cum aliis de cauſis, tum ex hoc præſertim, quod medium dicat de majori, hunc de minori, minorem de medio, h. e. medium nugatorie de ſeipſo.

III. ET præter hos 24 alium non eſſe. Nam oſtenſum eſt in Syllogiſmo tres tantum terminos, & tres tantum propoſitiones eſſe; atque hoc poſito quatuor tantum figuras; & in qualibet figura modos tantum ſex; qui etiam numerus perfectus eſt.

Falluntur igitur, qui tranſpoſitis Syllogiſmi præmiſſis, vel converſa concluſione, videntur ſibi modum aliquem novum, vel figuram novam inveniſſe. Si quis hoc fecerit, ad definitiones extremorum, medii, Propoſitionum, Figuræ, Modi, provocetur.

IV. INtelligendum tamen eſt Syllogiſmos non ita ſemper exigi ad rigorem Canonis, ut qualiſcunque deflexio ab ea præciſe formula quæ in Schemate ſupra conſtituta eſt Syllogiſmum faciat illegitimum. Neque enim obſunt Syllogiſmo

1. Propoſitiones *ſecundi adjacentis*, ſive quarum prædicata copulæ adjacent, i. e. in unam cum illa vocem coaleſcunt. e. g. *Vivens ſpirat*: *Vivis*; Ergo *Spiras*. Nam ejuſmodi propoſitiones in terminos ſuos facile reſolvuntur.

2. Neque Propoſitiones *ſingulares*. Nam oſtenſum eſt eas æquepoſſe Univerſalibus, e. g. *Præceptor Epamonidæ eſt Muſicus*: *Socrates non eſt Muſicus*; Ergo *Socrates non eſt præceptor Epamonidæ*, eſt Syllogiſmus in Cameſtres. *Periander eſt*

est Dives: Periander est Sapiens; Ergo *Aliquis sapiens est dives*, est Syllogismus in Darapti. Et tales quidem Syllogismi fiunt potissimum in tertia; quia singularium est maxime subjici: Vocantur autem *Expositorii*; quia videntur rem magis *exponere*, nempe objicere sensui, cujus objecta sunt singularia, quemadmodum Universalia intellectus.

3. Neque Propositiones *indefinitæ*. Nam ostensum est earum materiam esse pro signo; e.g. *Rationale est risibile: Homo est rationalis*; Ergo *Homo est risibilis*, est Syllogismus in Barbara.

V. SYllogismis etiam adnumerantur aliæ Argumentorum species; quæ nec stricte loqendo Syllogismi sunt, nec ita tamen peccant ut propterea mereantur excludi: In quibus scilicet reticetur Argumenti pars aliqua, sed quam proclive est cogitatione substituere.

1. *Enthymema*; cujus Antecedens constat propositione & judicio; nam judicium est propositio in mente; e.g. *Homo est animal*; Ergo *est vivens*. Dicitur etiam Aristoteli *Syllogismus Oratorius*; & si integra ejus vis contineatur in unica propositione, *sententia Enthymematica*; utrumque Quintiliano *sententia cum ratione*, ut *Mortalis cum sis immortale ne geras odium*. Deest illi ad Syllogismum altera præmissarum; utrum vero major an minor, ex Quæstione dignoscitur.

2. *Inductio*; in qua ponitur quantum opus est de singulis, & deinde assumitur de universis; ut *Hic, & ille & iste magnes trahit ferrum*; Ergo *omnis*. Est igitur Enthymema quoddam; nempe Syllogismus in Barbara, cujus minor reticetur.

3. *Exemplum*; (Aristoteli *Inductio Oratoria*) ubi quod ponitur de singulari noto, assumitur de simili ignoto: ut *Sylla & Marius laceravere Rempublicam*; Ergo *Cæsar & Pompeius lacerabunt*. Hujus etiam minor reticetur: quapropter (ut in cæteris) quæstionem *assumi* dico; neque enim *colligitur* nisi ex posito & subintellecto.

4. *Sorites*; in cujus Antecedente, ex ordinata serie terminorum, præcedens quisque subjicitur sequenti, donec à subjecto quæstionis pervenitur ad prædicatum, v. g. *Homo est animal*: *animal est vivens*: *vivens est substantia*; Ergo *Homo est substantia*. In Sorite igitur subaudiuntur Syllogismi quot sunt in Antecedente termini intermedii; unde & à cumulo nomen habet.

5. Soriti affinis est Syllogismus, cujus præmissarum altera est sententia Enthymematica, ut *Nullus injustus est amandus*:

Omnis

Omnis Tyrannus (crudelis cum sit) est injustus; Ergo *Nullus Tyrannus est amandus*. Qui quidem Syllogismus peculiare nomen non habet; Præmissæ autem Enthymematicæ Antecedens, Aristoteli *Prosyllogismus* est.

6. Huc denique revocandum est compendium illud disputandi opponentibus usitatissimum, reticendi scilicet conclusionem; cum sit ipsa Quæstio, quam Respondens non supponitur ignorare.

VI. ADmittuntur denique in Scholis etiam Syllogismorum formulæ quia contra regulas voce tantum non sensu peccant, & mutata phrasi ad Canonicas facile revocantur. Suntque nihil aliud quam Licentiæ quædam Syllogisticæ, & in accurata disputatione non videntur admittendæ.

1. Quando pro termino repetendo substituitur vox illi æquipollens. Ut in hoc, *Ens Naturale constans corpore organico & anima rationali est homo: Socrates est ejusmodi*, Ergo *est homo*; & similibus. Potest enim Sophista abuti ista libertate vel ad nugandum vel ad fallendum.

2. Quando fiunt Syllogismi ex obliquis. Qualis est, *Omnis hominis equus currit: Socrates est homo*; Ergo *Socratis equus currit*. Pro minori rectius dixeris *Socratis equus est hominis equus*, alias consequentia licet bona non erit immediata. Atque illo insuper laborat disputatio omnis ex obliquis quod præter necessitatem aperit locum fallaciæ.

3. Quando Propositio aliqua intelligitur contra quam sonat, e.g. *Quod non habet partes non interit per dissolutionem partium: Anima humana non habet partes*; Ergo *anima humana non interit per dissolutionem partium*. Nam major sonat negative, intelligitur vero affirmate: puta, *Quod interit* &c. *habet partes*. Vel etiam singulæ propositiones intelliguntur affirmate, ac si esset Syllogismus, *Omne expers est incorruptibile: Anima humana est expers*; Ergo *anima humana est incorruptibilis*.

Eodem accenseri possunt Syllogismi quales Author *Artis cogitandi* vocat *Complexos*, in quibus etiam *dijudicandis* agit se satis imperite. v. g. p. 164. laudat hunc Syllogismum *Lex divina jubet Reges honorari: Ludovicus 14 est Rex*; Ergo *Lex divina jubet Ludovicum 14 honorari*. Ubi valet certe Argumentum; Syllogismus tamen est falsissimus, cum habeat quinque terminos. Nam ex conclusione patet quod major terminus est *jubet Ludovicum 14 honorari*, & minor *Lex divina*:

divina: Ergo minor Propositio *Lex divina jubet Reges honorari*: Ergo Medius terminus *jubet Reges honorari*: Ergo Major Propositio debuit esse, *Quod jubet Reges honorari, jubet Ludovicum* 14 *honorari*; & tum valeret Syllogismus; nec redundarent duo termini qui in secunda propositione jam redundant.

P. 166. Syllogismum hunc improbat, *Debemus credere Scripturæ: Traditio non est Scriptura*: Ergo *non debemus credere Traditioni*; quia eum scil. imperite reducit ad primam, cum tamen Syllogismus apertissime hoc dicat in secunda, *Objectum fidei divinæ est Scriptura: Traditio non est Scriptura*: Ergo *Traditio non est Objectum fidei divinæ*.

Ibidem imperite autumat Syllogismum sequentem, in qua omnes propositiones videntur affirmativæ, esse in secunda; *salvari* vero, quia minor sensu exclusiva, negativam in se contineat. Quod si ipsos Syllogismi terminos rite dignoscere potuisset, vidisset sane Syllogismum esse in Barbara transpositis præmissis, v. g. *Bonus pastor est paratus animam ponere pro ovibus*: *Pauci hoc sæculo sunt parati* &c. Ergo *Pauci hoc sæculo sunt Boni Pastores*. Hujus conclusio perspicue dicit (non de paucis quod sunt boni pastores sed) de Bonis Pastoribus quod sunt hoc sæculo pauci. Quare Major terminus est *hoc sæculo pauci* & Minor *Boni Pastores*. Ergo Minor Propositio, *Boni Pastores sunt parati* &c. & Medius terminus, *parati animam ponere pro ovibus*. Syllogismus vero hic est, *Qui parati sunt animam ponere pro ovibus sunt hoc sæculo pauci*: *Qui sunt Boni Pastores sunt parati animam ponere pro ovibus*: Ergo *qui sunt boni pastores sunt hoc sæculo pauci*.

§. 15. HÆc dixisse erat operæ pretium, nequis temere repudiaret eos qui si non videntur, sunt tamen revera Syllogismi. Locus admonet ut dicamus aliquid de *Fallaciis*; quæ *cum non sint, videntur tamen esse Syllogismi*: nam quod aperte falsum est, ad fallendum non est comparatum. Quot igitur modis, contra Syllogismi regulas supra constitutas peccatum fieri, & latere, totidem intendi poterit Fallacia: quam tamen facile deprehendet, qui ad Canonem norit exigere. Nihil itaque dicam amplius de Fallaciis; ne de illis quidem 13 celebrioribus, Aristotelis ævo usitatis: nam qui ita ingenio valet, ut possit antedicta percipere, non verebor ne argutiis tam inanibus fallatur.

Sed nec ea hic tradenda arbitror quæ ad alias pertinent

Diſciplinas; cujuſmodi multa, fuſe ſatis, & importune congerit, *Cogitator ille* ſupra laudatus. Magno enimvero nos bono beat, à quo hoc novi ſcilicet audimus, Inſcitia debilitari ratiocinium; Affectibus perturbari; mirum ni adjecerit, Morte etiam abrumpi.

LIB. I. CAP. IV. *De Propoſitionibus & Syllogiſmis Hypotheticis.*

§. 1. QUamvis ad bene diſputandum abunde ſufficiant quæ ſunt hactenus oſtenſa, cum nulla ſit Quæſtio quæ nequeat Syllogiſmis Categoricis, iiſque puris probari; tamen ex aliis quoque Propoſitionibus fieri poſſunt Argumenta; quæ interdum brevitatis, alibi fallendi ſtudio, plerumque vero præ inopia ſermonis, vel ignorantia artis adhibentur. Quare de iis pauca libet attexere; non ut addiſcant Studioſi, quæ omnino fugienda cenſemus; ſed ut ea conſueſcant ad legitimam artis formam revocare; quo faciliùs & ab aliis oblata dijudicent, & ipſi evitent.

Præter puras quas diximus Categoricas, ſunt & aliæ apud Scholaſticos, *Modales* puta & *Exponibiles*; quarum doctrina ſubtilis, & vacuis fortaſſe auribus non injucunda, ad inſtitutum noſtrum nihil facit. Porro Modalium uſus in Syllogiſmo pene obſolevit: de quibus tamen diligenter Ariſtoteles; nam neceſſe erat cum ejuſmodi diſputationes obtinerent. Poſſunt hujus generis Syllogiſmi ſi uſus poſtulet, interpretatione facile explorari; idque faciet quiſque in arena.

v. g. Valet hic Syllogiſmus. *Neceſſe eſt omne animal eſſe ſubſtantiam: Omnis homo eſt animal;* Ergo *Neceſſe eſt omnem hominem eſſe ſubſtantiam.* Huic enim æquipollet. *Omne animal eſt neceſſario-ſubſtantia: Omnis homo eſt animal;* Ergo *Omnis homo eſt neceſſario-ſubſtantia.*

Valet & hic. *Neceſſe eſt omnem hominem eſſe rationalem: Neceſſe eſt aliquod bipes non eſſe rationale;* Ergo *Neceſſe eſt aliquod bipes non eſſe hominem.* Huic enim æquipollet, *Omne neceſſario-irrationale, eſt neceſſario-non-homo: Aliquod bipes eſt neceſſario-irrationale;* Ergo *Aliquod bipes eſt neceſſario-non-homo.* Hanc autem methodum interpretandi majorem eſſe hoc in caſu eligendam, ex interpretatione Quæſtionis ſtatim agnoſcitur.

Hic

Hic autem fallit. *Omne animal eſt ſubſtantia: Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal;* Ergo *Neceſſe eſt omnem hominem eſſe ſubſtantiam.* Huic enim æquipollet, *Omne animal eſt ſubſtantia: Omnis homo eſt neceſſario-animal;* Ergo *Omnis homo eſt neceſſario-ſubſtantia:* in quo quatuor termini prima fronte comparent.

Eadem fere methodo Syllogiſmus quivis ex Modalibus in æquipollentem Categoricum purum converti poteſt. Si quis igitur Opponens Modalem attulerit, ut pro eo purum ſubſtituat, Reſpondens ſuo jure poſtulabit. Verum hujuſmodi Syllogiſmi, Ariſtotelis ævo uſitatiſſimi, hodie perraro adhibentur.

§. 2. CONTRA, invaluit Hypotheticorum uſus; quos tamen Ariſtoteles ita aſpernatus eſt, ut de iis nullum verbum faceret. Eſt autem *Syllogiſmus Hypotheticus*, in quo una, duæ, vel tres Propoſitiones Hypotheticæ. v.g. *Si ſapit, eſt beatus: Sapit;* Ergo *eſt beatus.* Vel *Qui ſapit eſt beatus: Si eſt Philoſophus, ſapit;* Ergo *Si eſt Philoſophus, eſt beatus.* Vel *Si ſapit, eſt beatus: Si eſt Philoſophus, ſapit;* Ergo *Si eſt Philoſophus, eſt beatus.* Nos de eo tantum loqui inſtituimus qui eſt cæteris uſitatior, in quo nempe Major Hypothetica.

Propoſitio Hypothetica late ſumpta definitur, Plures Categoricæ per Conjunctionem aliquam unitæ: & Conjunctio vocatur *Copula;* eſtque *Conditionalis, Disjunctiva, Cauſalis* &c. ut apud Grammaticos; unde totidem Hypotheticarum ſpecies, ſuis Copulis cognomines. Sed ad Syllogiſmum non faciunt, præter *Conditionalem*, & *Disjunctivam;* quarum exempla, *Si ſapit eſt beatus. Vel dies eſt vel nox.*

Conditionalis habet vim illativam. Unde *Conditio* ipſa, ſive pars prior, quæ eſt inſtar inferentis, *Antecedens* dici ſolet; *Aſſertio*, ſive pars poſterior, quæ rationem habet illatæ, *Conſequens;* partiumque inter ſe connexio, *Conſequentia.*

Conditionalis cujuſque ſententia eſt, quod Data Conditione, datur Aſſertio; quod bifariam explicari poteſt. 1. Si *detur* Conditio, *danda eſt* Aſſertio; unde *Regula prima*: Poſita Antecedente, recte ponitur Conſequens. 2. Si *daretur* Conditio, *danda eſſet* Aſſertio; unde *Regula ſecunda*: Sublata conſequente, recte tollitur Antecedens.

Porro hoc unum ſtatuit, Antecedente vera, veram eſſe Conſequentem; non autem ambas eſſe ſimul veras, aut ſimul falſas, aut una vera, falſam alteram: per illam igitur, Sublata Antecedente, poni vel tolli poteſt Conſequens; aut Poſita

Consequente, poni vel tolli Antecedens. Unde *Regula tertia*: Sublata Antecedente, vel Posita Consequente, nihil certo colligitur.

Conditionalis igitur Syllogismi duæ sunt, nec plures formulæ.

I. quæ vocatur *Constructiva*.	II. quæ dicitur *Destructiva*.
Si C. D. tum K. Δ.	Si C.D. tum K. Δ.
Sed C. D. Ergo K. Δ.	Sed non K. Δ. Ergo non C.D.

§. 3. HÆc non ignoravit Aristoteles; sed re penitus excussa, vidit omnem Syllogismum Conditionalem vel æquipollere Categorico, vel prorsus esse repudiandum. Quippe dato quocunque Conditionali, qui legitimo uteretur Argumento, dari aliquem Categoricum, in quo idem Argumentum eandem vim obtineret, ad eandem Conclusionem inferendam.

Nam in hujusmodi disputatione, proposito Syllogismo cujus Major constat duabus Categoricis, statuitur vel harum altera, vel quæ alteram evertit, ut inferatur vel reliqua, vel quæ reliquam evertat. Quicquid horum fiet, proponetur Enthymema, cujus vis in *Hypothesi* fundatur; quodque propterea non valebit, nisi elici possit ex Hypothesi *Completoria*; Præmissa nempe altera quæ Enthymemati ad Syllogismum deest.

Jam cum Enthymema legitimum sit nihil aliud quam præmissa altera cum conclusione alicujus Syllogismi, erunt in eo tres, nec plures termini; duo D & Δ diversi, tertius C communis: desideratur vero præmissa reliqua cujus termini sunt D & Δ. Atque hinc fit, ut pro varia terminorum dispositione quatuor sint formulæ Enthymematis; quarum unaquæque duplicem recipit Completoriam; ut in Schemate.

Enthymema.	complet D. Δ.	Δ. D
C. D. Ergo C. Δ.	Major in figura I.	in II.
D. C.	III.	IV.
C. D. Ergo Δ. C.	Minor in figura IV.	II.
D. C.	III.	I.

Quando igitur Syllogismi Categorici modi possibiles sunt 24; tolerabiles, tantum 19; probabiles, tantum 14: cumque ad complendum Enthymema, quælibet Figura bis adhibeatur: erunt complendi Enthymematis modi possibiles 48; tolerabiles 38; probabiles tantum 28; qui etiam numerus perfectus est. Quot autem modis compleri poterit Enthymema,

tot dem

totidem & non pluribus legitime disputari potest, adhibito Syllogismo cujus Major est Conditionalis.

Nam si Enthymema vel duos tantum, vel quatuor habeat terminos, nisi (quod interdum accidit) ad tres possint revocari, prorsus explodi debet; etiam si vera sit Antecedens, & ab ea Consequens dependeat. Ut in his; *Omnis homo est animal*: Ergo *Aliquod animal est homo*. *Zeno non fallitur*: Ergo *Aliquis sutor est Rex*. Argumentum utrobique bonum; Enthymema vitiosum est. Neque enim in hujusmodi casibus Consequens ex Antecedente sequitur, sed ex Antecedente cum alio, vel pluribus aliis. Quare posita Antecedente, non continuo inferenda est Consequens; sed adjunctis cæteris quæ perficiunt argumentum, per plures Syllogismos recto ordine deducenda.

§. 4. QUæ de *Conditionali* dicta sunt, *Disjunctivæ* satis cavent. Ejus enim in Syllogismo positæ sententia conditionaliter efferri semper potest.

v. g. Si posita Vel C vel D. Subsumatur

Sed	C	Ergo	non	D
	D		non	C
	non C	Ergo		D
	non D			C

Pro exposita Disjunctiva Dic conditionaliter

Si	C	tum	non	D
	D		non	C
	non C	tum		D
	non D			C.

§. 5. SUperest Syllogismus quidam Hypotheticus redundans, alio nomine *Dilemma* quia plerumque duo (etsi interdum plura) proponit adversario capienda; quorum utrumvis acceperit, causa cadet. Tale est illud Biantis, *Si uxorem ducas formosam, habebis κοινὴν communem; si deformem, ποινὴν pœnam*: Ergo *Nulla est ducenda*.

Hoc non valet, nisi ita comparetur, ut partem alteram accipi sit necesse; utraque autem feriat; nec possit retorqueri. Quæ si vidisset Bias, suo sibi Dilemmate minus placuisset; neque enim vel formosa uxor vel deformis necessario futura est; sed est media quædam pulchritudo, quam Ennius *statam* appellavit; Favorinus eleganter *uxoriam*. Porro nec formosa omnis est communis, nec deformis, pœna. Denique Dilemma facile retorqueri potest. Puta *Si formosam duxero, non habebo pœnam; si deformem, non habebo communem*.

Dilemma nihil aliud est quam *Inductio Negativa*; in qua Syllogismi Major, Conditionalis est cum consequente distributiva: puta, *Si omnino, tum sic, vel sic, vel sic*; quam efferre Categorice adeo est proclive ut non indigeat præcepto.

LIB. I. CAP. V. *De Syllogismo quoad Materiam.*

§. 1. HÆc de Syllogismo quoad *Formam* spectato. Jam de eodem quoad *Materiam*, h. e. *Certitudinem* & *Evidentiam* propositionum ex quibus componitur.

Certa autem Propositio est cui nihil occurrit in contrarium, vel quod occurrit instar nihili est; ut *Omnis homo est risibilis*: *Evidens*, quæ simul ac percipitur assensum impetrat; ut *Totum est majus sua parte*: *Dubia* in qua hæremus, cum illius pars utraque valde se probet Intellectui; ut *Astra regunt homines*; nam & regere & non regere videntur. Dubitanti vero siquid aliud occurrat, quo pendens animus in alterutram partem propendeat, quod erat Dubium fit *Probabile*. Et potest quod probatur *Verum* esse, sed probanti tantum *Verisimile* est. Multis nihilominus assentimur isto modo, & assensui nomen est *Opinio*.

Est igitur *Opinio* propositionis *tantum probabilis*; eique nulla competit certitudo; sed in ipsa sui ratione includit *formidinem oppositi*. Sunt Opinioni tamen *Gradus* quidam *ad certitudinem*, pro diverso pondere rationum qui assensum movent, diversi. Est quod omnibus, quod plerisque quod Sapientibus videtur; & quod horum singulis, quod plerisque, quod celeberrimis: quorum omnium dispar est probabilitas; quorundam vero tanta, ut ad Certitudinem quam proxime accedat.

§. 2. QUi Opinionem parit Syllogismus appellatur idcirco *Dialecticus* διαλεκτικὸς, i. e. *probabiliter disserens*: quæque proprie dicitur *Dialectica*, est pars Logicæ quæ de hoc agit Syllogismo. Multiplex autem est *Materia* circa quam versatur Opinio, & per omnes sparsa Disciplinas: cujus infinitam pene varietatem ad pauca capita revocavit Aristoteles; & sub iis *Effata Dialectica* suis quasi in sedibus *locavit*. Hæc itaque Capita τόπους i. e. *Locos* appellat; unde Syllogismus Dialecticus alio nomine *Topicus* dicitur.

De Locis Dialecticis, & ad ea pertinentibus Effatis, sive (ut Scholastici vocant) *Maximis*, vide Lib. 2. Cap. 3. Pro Exemplo interim hoc accipe. Inter Maximas Loci primi (qui est *Testimonium*) reperitur hæc; *Peritis credendum est in sua arte*; ex qua elicitur hujusmodi Syllogismus Topicus.

Quod

Quod (Pythagoras) *Ipse dixit concedendum est. Migrare animas Ipse dixit*: Ergo, *Migrare animas concedendum est*. Probatur Major; quia *Peritis credendum est in sua arte*.

§.3. CErtitudo eadem videtur quæ improprie vulgo dicitur *Evidentia Moralis*; quæque iis convenit Effatis de quibus nemo Prudens dubitaverit: qualia præsertim sunt *Principia* ad vitam moresque pertinentia, cum Conclusionibus quæ ab his legitime deducuntur. Nam hujusmodi Propositiones videntur esse plusquam Probabiles, nondum tamen Evidentes: neque enim eas quisque amplectitur quamprimum apprehendit; sed iis Prudens sine ulla formidine assentitur.

Certitudo duplex est; alia *Objecti* quæ est rei percipiendæ; alia *Subjecti*, quæ est Intellectus percipientis. Et utrique sui sunt *gradus*. Est enim *Certius* certitudine Objecti id cui minus obest; certitudine Subjecti, cui quod obsit minus percipitur. Evidentia similiter duplex est; *Objecti* nempe, & *Subjecti*; & utrique sui sunt *gradus*. Dispar enim Evidentia est, prout id quod percipitur vel est sponte perspicuum; vel à sponte perspicuo propius abest; vel utrumvis horum videtur.

Atque hinc rursus Evidentia multifariam dividitur. Sed nostro sufficit instituto, quod hæc de qua loquimur Propositionis Evidentia vel est 1. *Axiomatis* sponte perspicui; cui proinde sine ulla Probatione assentimur: vel 2. *Conclusionis* ab ejusmodi Axiomatibus (*immediate* an *mediate* parum refert, modo) rite deductæ. Nam cum una sit Veritas, sibi constans, apteque cohærens; quodque Verum, vel per se certum atque evidens sit, vel cum Effatis quibusdam certis & evidentibus necessario connexum; fit ut quamprimum apprehenditur hæc Connexio, eadem omnia quasi luce perfusa parem (specie) consequantur assensum.

§.4. QUi postremæ huic Evidentiæ competit Assensus apud Logicos vocatur *Scientia*. Est igitur Scientia *conclusionis certæ & evidentis*, à præmissis certis & evidentibus legitime deductæ. Certitudinem vero utramque intelligo; & utramque (tam Objecti scilicet quam Subjecti) Evidentiam. Nam per Objecti certitudinem Scientia distinguitur ab *Errore*; per Subjecti certitudinem ab *Opinione*. Si desit Evidentia Subjecti, nulla est *Scientia*; ubi sola adest, *persuasa* tantum non *realis* Evidentia est.

Qui Scientiam parit Syllogismus appellatur *Scientificus*; alio nomi-

nomine, ἀποδεικτικὸς *Demonstrativus*, & interdum *Demonstratio.* Conclusiones enim certas & evidentes, præsertim apud Mathematicos, reperiri multas in confesso est: cumque illi quæ docent, soleant adjuncto *Digrammate* ostendere; seque propterea non rem probare, sed (quod majorem innuit evidentiam) *demonstrare* dicant; arcessito igitur ab illis vocabulo, *Syllogismus scire faciens* apud Logicos vocatur *Demonstratio.* Cumque in Scientia (siqua forte possibilitas, tamen) nullus sit Erroris metus; quod hujusmodi Syllogismis, sive uno, sive pluribus probatur, id libenter agnoscimus sicut perhibetur *ita esse;* & *aliter* (saltem naturaliter) *se habere non posse.*

§. 5. DUæ sunt Demonstrationis species. Prima quæ demonstrat ὅτι sive *Quod res sit;* probando vel simpliciter & directe *rem ita esse*, & tum vocatur *Ostensiva* seu potius *Directa;* vel si non sit, absurdi aliquid necessario secuturum. Hæc est quæ Græce dicitur ἀπαγωγὴ, Latine *ducens ad absurdum, impossibile, incommodum;* uno verbo recte dixeris *Obliquam.* Exemplum ejus dat Reductio Syllogismi in *Baroko* vel *Bokardo* ad *Barbara.*

Ostensiva Directa fit duobus modis. 1. Quando aliquid demonstratur per *effectum;* ut si diceres, *Luna Soli opposita nigra cernitur:* Ergo, *patitur Eclipsin.* 2. Quando per *causam remotam;* ut si idem colligeres quia *Sol & Luna diametraliter opponuntur.* Quodsi illud demonstrares per causam proximam, quia nempe *Terra inter Solem & Lunam interponitur*, tum fieret.

Secunda Demonstrationis species διότι, i. e. quæ docet *Quare*, vel *Propter quid* res sit; causam ejus assignando non quamcunque, sed *proximam*, seu *immediatam.* Sic enim statuunt Logici, quod *Scientia* omnis est *cognitio rei per causam;* sed *proprie dicta*, per *propriam* h. e. *proximam:* nam per remotam, *Cur sit* aliquatenus ostenditur; nihil amplius quam *Quod sit* demonstratur.

Utriusque speciei membra gradu differunt. Nam *Obliqua* ὅτι est deterior Directa, quia non demonstrat *rem ita esse*, nisi quatenus docet *eam aliter se habere non posse;* quod tametsi eodem redeat, tamen animo minus satisfacit; nam ut par sit utrobique Certitudo, hujus tamen minor Evidentia est.

Habet & διότι suos gradus; quia potest esse causa proxima, quæ non est *prima*, h. e. per se nota & indemonstrabilis cujus ideo præfertur Evidentia, quia (contra quam cætera) sua

luce

luce est conspicua, & nihil indiget aliena. Quare quæ hanc adhibet causam Demonstratio, & habetur, & nominatur *Potissima*.

Sunt igitur ex mente Logicorum Demonstrandi quatuor modi; quorum alter alteri evidentia, adeoque dignitate præstat. *Valet* Demonstratio Obliqua; *Potens est* Directa; *Potior*, quæ per causam proximam, *Potissima* quæ per primam demonstrat. Hujus est Vulgata illa Definitio; *Syllogismus constans veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis*. Exemplum nisi forte apud Mathematicos, an uspiam occurrat nescio.

§. 6. EST & alia Syllogismi species (seu imago potius) *Fallacia*, quæ Errorem parit; quæque proinde hoc in loco à plerisque tractatur. Sed ut aliis videtur, minus recte: quia quæ proprie dicitur Fallacia, non tam Materia quam Forma peccat; idque innuit Aristotelis definitio, *Qui videtur esse Syllogismus, nec tamen est*: Esset enim nisi forma peccaret.

LIB. I. CAP. VI. *De Methodo.*

§. 1. METHODUS est talis dispositio partium alicujus Disciplinæ, ut integra facilius discatur. Estque duplex. 1. *Inventionis*, quæ disciplinæ præcepta invenit; 2. *Doctrinæ*, quæ tradit. Prior procedit à sensibilibus, & singularibus, quæ sunt *nobis notiora*, ad intelligibilia, & universalia, quæ sunt *notiora natura*: Posterior, contra.

Methodus Doctrinæ duplex est. *Perfecta* ἀκροαματική; & *Imperfecta*, ἐξωτερική. Perfecta rursus, vel *Universalis* est, qua integra disciplina, vel *Particularis* qua aliqua disciplinæ pars docetur. Utraque duplex est.

1. *Compositoria* sive *Synthetica*, quæ inservit disciplinis Theoreticis; & à notione *Subjecti* incipiens, principia ejus & species investigat, donec à summo genere in ista disciplina perveniat ad infimam speciem. 2. *Resolutoria* sive *Analytica* quæ inservit disciplinis Practicis; & à notione *Finis* incipiens, subjectum, & tandem media investigat.

Regulæ Methodi generales hæ sunt. In tradenda Disciplina 1. Nihil desit aut redundet. 2. Singulæ partes inter se consentiant. 3. Nihil tractetur quod non sit Subjecto aut

Fini homogeneum. 4. Singulæ partes aptis tranſitionibus connectantur. 5. Præcedat in docendo ſine quo alterum intelligi non poteſt, ipſum vero ſine altero poteſt.

Regulæ particulares hæ ſunt. 1. Unitas ſcientiæ pendet ab unitate Subjecti; unitas diſciplinæ practicæ ab unitate finis. 2. Magis Univerſalia præcedant minus univerſalia.

Methodus *imperfecta*, *cryptica*, arbitraria & popularis eſt, ſive *Methodus Prudentiæ*. Hæc fere Logici.

§. 2. IN tradendis diſciplinis ſuis Mathematici hac utuntur Methodo. 1. *Vocum ſignificationem* conſtituunt; h. e. *Vocabula artis* ſuo quodque loco ſic definiunt, ut legem ſibi ſtatuant iis nuſquam uti, præterquam in eo ſenſu quem explicat Definitio. 2. Definitionibus ſubjungunt *Axiomata* quas & κοινὰς ἐννοίας vocant; h. e. Effata ſponte perſpicua, quibus in decurſu operis utendum vident. 3. Poſthæc adjiciunt *Poſtulata* quæ ad praxin ſpectant; ſuntque per ſe certa & evidentia; quæ proinde ſine probatione concedi ſuo jure *poſtulant*. 4. Hiſce poſitis, Propoſitiones demonſtrant; ordine, & quoad fieri poteſt affirmate: una lege contenti, ut Quicquid demonſtratum eunt, ex ante datis vel probatis manifeſtum faciant. Cætera in quibus Methodi præceptores multi ſunt & odioſi, non morantur.

Mathematicorum methodum in cæteris artibus & ſcientiis ſi tenere non liceat, æmulari certe licet. Quo ad hanc quæque propius accedit, eo cæteris perfectior, & ad docendum aptior videtur. Sed ad ea quæ docentur retinenda, nihil eſt utilius abſoluti operis Conſpectu; in quo ea quæ ſunt ante, (extra ordinem fortaſſe) demonſtrata, ſuis quæque in locis h. e. ſervata Logicorum methodo reponantur.

AR-

ARTIS LOGICÆ

COMPENDIUM.

LIBER II. PENUS LOGICA.


LIB. II. CAP. I. *De Seriebus Prædicabilium cognatorum sive* Prædicamentis.

§. I. QUÆ priore Libro, Capite primo declarata sunt, videntur quantum satis est præstitisse quicquid Logica in prima sui parte pollicetur. Nam de *Terminis simplicibus*, & Quid sint ostensum est; & Quot eorum Species; Specierum quoque Constructio, & Natura; Usus etiam atque Opera quam in Definiendo & Dividendo sibi invicem præstant. Quæ omnia si bene teneantur, nulla amplius ope indigebit Intellectus ad cognitionem Terminorum simplicium.

Sed ne in tanta rerum vocumque multitudine confusio impediret Intellectum, visum est Veteribus, præeunte *Archyta Tarentino*, quasi condito Prædicabilium Κατηγορημάτων, lustro distribuere illa in certas classes, quas & *Prædicamenta* Κατηγορίας dixere. Est enim Prædicamentum *ordinata series Prædicabilium cognatorum, & singularium à quibus abstrahuntur*. Ejusque constructio est hujusmodi.

Abstrahuntur primo ab Individuo *Conditiones septem Individuantes*, nempe *Forma*, *Figura*, *Locus*, *Stirps*, *Nomen*, *Patria*, *Tempus*. Individuum vero his exutum fit *Species*; quam quia Logicus spectat ut compositam ex *Genere* & *Differentia*, sive parte communi & discretiva, primo eas inquirit; & inquisitionem Definiendi Dividendique præceptis gubernat: Inventa demum *Differentia*, ad minimum bimembri, constituit Species Oppositas, & earum *Propria* scrutatur. Tum de Genere (tanquam Specie subalterna) similiter quærit; redintegrato semper opere, quousque Abstractioni locus est.

§. 2. INventam hoc modo seriem ita placuit describi, ut quodammodo referret Arborem: saltem à Porphyrio sic descripta *Porphyrianæ Arboris* nomen habet.



Hujus *truncum* referebat *linea directa*, in qua Genera & Species scribebantur: in *suprema* Tabula Genus summum, in *ima*, Species infima; unde Nomina. Inter hæc media Subalterna, suo ordine.

Differentiæ ad latus sunt dispositæ; ad quas ductæ à Generibus suis lineæ *Ramorum* instar pertinebant.

Individua sub Specie infima oblique descripta sunt, quasi propagines vel Radicis, vel Verticis: Erat enim *Radix* Genus summum *Doctrinæ Methodum* spectantibus; poterat esse Species infima, si *Inventionis Methodus* spectaretur.

Hodie plerumque paulo aliter scribentes, vel Perspicuitati consulimus, vel Chartæ parcimus.

§. 3. PLacuit præterea nequid *in Linea directa scriberetur*, h. e. (ut loquuntur Scholastici) *in Prædicamento directe poneretur*, quod non significaret *Unum quid*, *Reale*, *Completum*, *Limitatæque ac Finitæ naturæ*. *Directe* inquam; quia nullum fere est vocabulum, quod non *Reductive*, *Analogice* aut *per Accidens* ad Prædicamenta revocetur. Excluduntur autem è Serie Directa

1. *Deus*; quia non est *Finitæ naturæ*.

2. Nomen *Transcendens*; quod vel omnibus solisque veris Entibus convenit; uti sex ista, *Ens*, *Res*, *Aliquid*, *Unum*, *Verum*, *Bonum*; vel omnibus etiam fictis, ut *Imaginabile*, *Cogita-*

Cogitabile; quod & *Supertranscendens* dicitur: hæc enim non sunt *Limitatæ naturæ*.

3. *Pars*; quia non significat *Quid completum*.

4. *Æquivocum*; quia non significat *Unum quid*.

5. Ob eandem quoque rationem *Vox Complexa*, vel *Decomplexa*; puta *Propositio, Syllogismus*: quæque significat *Ens aggregatum per accidens*; h.e. cujus partes ad diversa pertinent Prædicamenta; cujusmodi sunt omnia *Arte facta*; puta *Mensa*; *Candelabrum* &c. quorum *Materia* sive pars communis ad *Substantiam* pertinet; *Forma* vero, sive pars discretiva ad *Qualitatem*.

6. Ob eandem quoque rationem excluditur nomen *Consignificans*; quo Vocabulo intellige in Prædicamento collocari Voces tantum *Categorematicas*, non *Syncategoremata*; *Finitas*, non *Infinitas*; *Absolutas*, non *Connotativas*; *Abstractas*, non *Concretas*; *Denominantes*, & *Denominatas*, non *Denominativas*.

Est autem 1. Nomen *Finitum* id cui abest particula *Non*; ut *homo*: *Infinitum*, cui præfigitur, ut *non-homo*, i. e. omnia præter hominem; unde & Particula *Non*, *Infinitans* dicitur. 2. Nomen *Absolutum* est, cujus tota significatio spectat rem per se sumtam, ut *justitia*: *Connotativum*, quod eandem quasi alteri nexam, ut *justus*. 3. *Concretum*, quod rem quasi sua natura liberam, sed jam implicitam subjecto, ut *justus*: *Abstractum*, quod rem quasi sua natura nexam, sed jam subjecto exemtam; ut *justitia*. 4. Denique, si Concretum sola terminatione diversum sit ab Abstracto ut *justus* à *justitia*, hoc *Denominans* dicitur; illud *Denominativum*; Subjectum vero *Denominatum*.

Dixi autem hæc tantum; quia Consignificant, & *Connotativa* interdum appellantur Nomina quorum conceptus sese mutuo ingrediuntur; ut *Pater* & *Filius*: nam & illa opponuntur Absolutis: sed vocantur proprio nomine *Relativa*; & in Prædicamento locum habent.

7. 8. 9. Excluduntur ea quæ non significant *Ens reale*, sive aliquid in rerum natura. Cujusmodi sunt 7. *Entia rationis*; h.e. quæ Nobis non cogitantibus nulla sunt; ut *Genus, Species*, cæteræque *Inventiones secundæ*.

8. *Fictæ*; ut *Centaurus*, *Cerberus*, *Chimæra*; quæ fortasse concipi, verum existere nequaquam possunt; & per id ab Entibus Rationis (hoc saltem loco) distinguuntur, quod Entia Rationis habent aliquod fundamentum in re.

9. *Pri-*

9. *Privationes*, h. e. Nomina *Privativa*; quæ ut qualia ſint intelligas, ſciendum eſt, Nomen *Poſitivum* dici quod ſignificat rem quaſi præſentem : *Privativum* quod abſentiam rei à ſubjecto capaci; *Negativum* quod ab incapaci. Sic *Homo* eſt vox *poſitiva*; *Cæcus* dicitur de homine *privative*; Cæcus (ſeu potius *non-videns*) de lapide *negative*.

Complexum, Conſignificans, Privatio, Fictum,
Pars, Deus, Æquivocum, Tranſcendens, Ens Rationis,
Iſta novem Denis è Claſſibus excluduntur.

§.4. Placuit enim Archytæ, quem ſecuta eſt omnis Antiquitas, conſtituere decem terminos quibus omnis Abſtractio ſiſteretur. Horum nomina & exempla hoc Tetraſticho continentur.

Summa decem. *Subſtantia, Quantum, Quale, Relatio,*
Actio, Paſſio, Ubi, Quando, Situs, Habitus.
Presbyter exilis, ſpecie Pater, orat, & ardet
In campo, ſemper rectus & in tunica.

Ita ſcilicet exiſtimarunt, Prædicamenta diſtingui oportere ſecundum Quæſtiones quæ fieri ſolent de Subſtantia ſingulari; eaſque ſub decem hiſce Titulis commodiſſime diſponi. Cujus conſilii ratio ut fiat manifeſta, paulo altius repetenda res eſt; & deduci poteſt hunc in modum.

Ex lege Contradictionis, Individuum omne vel in Subjecto ineſt vel non. *Ineſſe* autem *in Subjecto*; & *Inhærere*, & (quod utrique hoc loco idem eſt) *Accidere* dicitur, quod cum alteri inſit, non ut pars, nequit exiſtere ſeparatum. Dari autem neceſſe eſt *Subjectum* aliquod *Inhæſionis*, quod ipſum non inhæreat, ne vel Inhæſio *infinita* ſtatuatur, vel *circularis*, quarum utraque eſt abſurda. Illud igitur Subjectum & *ſubſiſtit per ſe*, & primo *ſubſtat Accidentibus*; & utroque nomine merito dicitur *Subſtantia*.

Quare Individuum quodcunque eſt vel *Subſtantia*, vel *Accidens*. Eademque proinde Diviſio etiam Univerſalia exhaurit: ſiquidem *Univerſale Materiale*, ſive Natura communis Communitate præciſa, eadem eſt ſuæ Singulari.

Jam Subſtantia Individua ſubjicitur *Univerſali* in *Prædicatione Univoca*; ſubſtat vero Accidentibus Individuis, & proinde ab iis denominatur; h. e. ſubjicitur *Univerſalibus* in *Prædicatione Denominativa*. Quare cum Univerſale quodcunque de Subſtantia ſingulari dicatur, h. e. de illa aliquo modo inquirenti reſpondeat, Univerſalium Claſſes ſive Prædicamenta tot erunt, quot fieri poſſunt Quæſtiones circa Subſtantiam

ſtantiam ſingularem: De illa autem nihil amplius videtur inquirendum, quam aut *Quid ſit*, aut *Quanta*, aut *Qualis* &c. ſecundum Titulos prædictos. Nam decem illæ Quæſtiones Subſtantiam ſingularem tam diſtincte atque diligenter excutiunt; ut (Archyta judice) inquiſitio per pauciores ſit parum accurata; per plures, (ſi tamen fieri poteſt) ſupervacua.

§. 5. CONſtituto Prædicamentorum numero, ſequitur ut de ſingulis dicamus. Plene autem & perfecte accurateque dicere, non eſt Artis Logicæ; ſed ad alias pertinet diſciplinas: illis igitur ſuum cuique relinquentes, pauca tantum, & Logicæ conceſſa delibabimus; illud unum ſpectaturi quod in Prædicamento poſita reſponſum ſuggerunt inquirenti de Subſtantia ſingulari.

Eſt autem prima Quæſtio, *Quid ſit* ſubſtantia ſingularis? & ad illam apta reſponſio Ens per ſe ſubſiſtens. Nam ex iis quæ ſunt alibi oſtenſa, Quæſtio *Quid eſt* ad Eſſentiam pertinet: *Eſſentia* vero ſubſtantiæ eſt *per ſe ſubſiſtere*; natumque inde *Proprium*, *Accidentibus ſubſtare*. Quare, quæ ſignificant Ens per ſe ſubſiſtens, in illa ſerie reponuntur quæ eſt Prædicamentum primum, & vocatur

PRÆDICAMENTUM SUBSTANTIÆ.

Seriei hujus Individua appellantur Subſtantiæ *primæ*; Species & Genera, *ſecundæ*. Atque illæ quidem jure merito *primæ*, & *propriiſſime*, & *maxime Subſtantiæ*. Nam cum omne Ens aliud vel inhæreat, vel prædicetur, illæ ab utraque conditione abſolutæ, & ſubſtant inhærentibus, & ſubjiciuntur prædicatis. Ita igitur per ſe ſubſiſtunt, ut ſublatis Entibus cæteris ſuperfuturæ ſint; ipſis vero remotis, nihil aliorum relinquatur.

Ex ſecundis Subſtantiis, quo quæque propior eſt primæ, eo *magis Subſtantia* dicitur. Nam ex proceſſu Abſtractionis manifeſtum eſt, Naturam Univerſalem reperiri primo in Individuis; & eorum gratia in Univerſalibus; idque ſecundum ordinem quo ab invicem abſtrahuntur. Unde & quæ Primæ eſt vicinior (cum ab illa pauciora ſint abſtracta) pluribus ſubſtat; adeoque expreſſius, & proinde aptius reſpondet inquirenti *Quid ſit* Prima? quæ eſt Archytæ ratio cur *magis Subſtantia* appelletur.

Series

Series Substantiæ.

SUBSTANTIA. Categorica sive Prædicamentalis, Creata scilicet & Completa est vel *Immaterialis* & vocatur *Spiritus*; vel *Materialis* & dicitur *Corpus*.

Spiritus est, qui constat ex *Potentia* & *Actu*; h. e. (non Materia & Forma sed) parte communi & discretiva, Materiæ & Formæ respondentibus: estque duplex.

1. *Angelus*: *Bonus* vel *Malus*. Bonorum tres sunt *Hierarchiæ*; novem *Ordines*. 1. Cherubin. 2. Seraphin. 3. Throni. 4. Principatus. 5. Potestates. 6. Dominatus. 7. Virtutes. 8. Archangeli. 9. Angeli. Malorum, Princeps *Diabolus*; nullus Ordo.

2. *Anima rationalis*.

CORPUS est quod Constat Materia & Forma: estque duplex.

1. *Cœleste* sive *Cœlum* cujus *Orbes* decem hoc ordine. 1. Cœlum *Empyræum*, Beatorum sedes. 2. Primum Mobile. 3. Cœlum Stellatum. Tum Septem Planetarum Orbes, nempe 4. Saturni. 5. Jovis. 6. Martis. 7. Solis. 8. Veneris. 9. Mercurii. 10. Lunæ. Post SIM, SUM sequitur: ultima Luna subest.

2. *Caducum*, quod est *Simplex* vel *Mistum*.

Simplex, *Elementum* dicitur, Estque quadruplex

1. Calidum, *Ignis*. 2. Frigidum, *Aqua*. 3. Aridum, *Terra*. 4. Humidum, *Aër*.

Mistum est vel *Imperfecte* vel *Perfecte* Mistum.

Imperfecte Mistum dicitur *Meteoron* estque triplex. 1. *Igneum*, ut Fulgur, Tonitru. 2. *Aqueum*, ut Nix, Pluvia. 3. *Aëreum*, ut Ventus, Terræmotus.

Perfecte mistum, est vel *Inanime*, vel *Animatum*.

Inanime est vitæ expers. 1. Aliud *Privative*, ut Cadavera omnia; puta Hominis, Leonis, Delphini, &c. aliquando viventium. 2. Aliud *Negative*, cui non competit vita. Hoc est idem fere quod vocatur *Minerale* cujus tres sunt species. 1. *Metallum*, ut Aurum, Argentum, Æs, Ferrum, Plumbum, Stannum. 2. *Semimetallum*, ut Argentum vivum, Sulphur, Sal, Nitrum, Bitumen. 3. *Lapis*; vel *Communis* ut Silix, Cos, Smiris, Glarea: vel *Rarior*, ut Marmor, Magnes, Asbestus: vel *Pretiosus* qui & *Gemma*; ut Adamas, Rubinus, Pyropus.

Animatum quod & *Vivens* dicitur.

VIVENS

VIVENS est quod vitam habet: vel

1. *Sine sensu* & vocatur *Vegetabile*: cujusmodi sunt *Plantæ*; vel minutæ & teneriores quæ & *Herbæ*; ut Salvia, Mentha, Asphodelus: vel majores, & duriores, nempe *lignosæ*: Quarum rursus aliæ minores pluribus crescunt caudicibus, & vocantur *Frutices*; ut Rubus, Vitis, Viburnum; aliæ majores, uno; & dicuntur *Arbores*; ut Quercus, Cedrus, Cupressus.
2. *Cum sensu* & potestate Locomotiva, quod vocatur *Sensitivum*; Corpus Vivens Sensitivum uno verbo dicitur

ANIMAL; estque *Irrationale*, vel *Rationale*.

1. *Irrationale* Rationis expers, quod & *Brutum* dicitur: *Aëreum*, *Avis*; ut Anser, Aquila. *Aquatile Piscis*; ut Cete, Delphinus. *Terrestre Bestia*; ut Leo, Elephas. *Reptile*; ut Vermis, Serpens, Aranea.
2. *Rationale*; Ratione utens; qui est

HOMO, Species in hac serie infima; cujus Individua sunt Socrates, Plato, Aristoteles, Cæsar, Virgilius, Euclides, &c.

Hæc (ut prædiximus) pauca sunt, & minus subtilia; sed quæ usibus Logicis sufficiunt.

II. PRÆDICAMENTUM QUANTITATIS.

§.6. QUod secundum quæritur de Substantia, est Quæ sit ejus Ποσότης? quam quidem Græcam nulla vox Latina adæquate exprimit. Duabus enim Quæstionibus respondet; nempe Πόσον *Quantum*? & Πόσα *Quot*? quarum illa de unius rei *Magnitudine*, hæc de plurium *Multitudine* inquirit.

Latini *Quantitatem* vocant; quæ significat proprie Magnitudinem; & in eo sensu accepta, Prædicamentum sola constitueret, si Philosophi suas leges servarent. Multitudo enim sive Numerus de Substantia singulari non respondet; & si demus Numerum esse Ens reale (quod est valde dubium) certe non est Unum per se.

Nihilominus utraque ποσότης in Prædicamento ponitur; & communi nomine Quantitatis utraque intelligitur. Unde *Quantitas* vulgo definitur, secundum quam *Aliquid Quantum* dicitur, & *Aliqua Aliquot* dicuntur. Qua in Definitione, *Dici*, est denominari in concreto quo apte respondetur Quæstioni per *Quantum* vel *Quot* factæ.

Præclare autem *Wallisius* Quæstionem unam reperit Prædicamenti hujus laxitati parem. Quandocunque enim commode

F mode

mode ſit Quæſtio per Adverbium Comparationis *Quam*, illud Accidens ſecundum quod fit reſponſio appellatur *Quantitas*, & eſt hujus Prædicamenti.

Series Quantitatis.

QUANTITAS (hujus Prædicamenti) eſt vel *Continua* vel *Diſcreta*.

CONTINUA eſt de qua quæritur *Quantum* vel *Quam multum*; ubi Menſura ſeu Magnitudo ſpectatur; eſtque *Permanens*, vel *Succeſſiva*.

PERMANENS cujus partes coëxiſtunt, triplex eſt. 1. *Linea* quæ eſt Longitudo non lata. Hæc reſpondet Quæſtioni *Quam longum?* & ad eam pertinent *Lineares* (h. e. Longitudinis & Diſtantiæ) *Menſuræ*; ut Ulna, Pertica, Milliare, &c.

2. *Superficies*; quæ eſt Quantitas tantum longa & lata. Hæc reſpondet Quæſtioni *Quam amplum?* & ad eam pertinent *Menſuræ Superficiales*, ut Pes Quadratus, Acra ſive Jugerum, aliæque quibus Pannus, Vitrum, Aſſeres, Pavimenta, &c. menſurantur.

3. *Solidum*; qnod eſt Quantitas longa lata & profunda; & interdum *Corpus* dicitur; melius, *Corpulentia*, vel *Craſſities*. Hæc reſpondet Quæſtioni *Quam grande?* & ad eam pertinent *Menſuræ Solidæ* tum *Magnitudinis* tum *Capacitatis*. Item *Menſuræ Concavæ* ut Modius, Medimnus, &c.

" N.B. Sunt qui *Locum* exiſtiment eſſe quartam ſpe-
" ciem hujus Quantitatis. At Locus, ſive ſit (ut vulgo defini-
" tur) Superficies cava corporis ambientis, ſeu (ut alii vo-
" lunt) Spatium, corpore repletum, nullam habet Quanti-
" tatem à cæteris ſpecie diſtinctam. Quodſi fuerit Locati
" ad alia corpora ordinatio; non eſt hujus Prædicamenti,
" ſed ad *Ubi* vel *Situm* pertinet.

SUCCESSIVA Continua, *Tempus* eſt; Menſura durationis; cujus partes una poſt aliam, non omnes ſimul exiſtunt. Hæc reſpondet Quæſtioni *Quam diu?*

Temporis *Partes* ſunt Præteritum, Præſens, Futurum: *Differentiæ* (vel ſi mavis Species) Hora, Dies, Menſis, Annus, Triennium, Seculum, &c.

" N.B. Definiri ſolet Quantitas continua, cujus partes
" *Termino communi*, (h. e. Indiviſibili connectente) copu-
" lantur. Eſtque Terminus communis Lineæ quod *Pun-*
" *ctum* dicitur, cujus pars nulla eſt; Superficiei, *Linea*;
" Corpo-

"Corporis, *Superficies*; Temporis, *Momentum*, *Instans*, "τὸ Νῦν, quod & *Punctum Temporis* vocatur.

"Punctum & Instans sunt *Indivisibilia absolute*. Super-"ficies & Linea *prout Quantitates* dividi possunt; prout "*Termini* sunt *Indivisibiles*: hujus enim nulla Latitudo; "illius, nulla Profunditas.

DISCRETA Quantitas est de qua quæritur per Πόσα *Quot*, vel *Quam multa*; vel (ut vulgo dicitur) cujus partes communi termino non copulantur. Est & hæc *Permanens* vel *Successiva*.

PERMANENS est qui dicitur *Numerus*; Multitudo Unitatum. *Unitas* unius rei nomen; nec revera Numerus, sed Principium Numeri: respondet tamen Quæstioni *Quot sunt?* & proinde apud Mathematicos instar numeri habet.

SUCCESSIVA *Discreta* est *Oratio*; nempe *Vocalis*; cujus partes sunt plures soni, non simul aut continue, sed discretim & successive prolati.

Hæc est Series non perfecta sed Logica, *Quantitatis extensæ*; quæ & *Quantitas molis* appellatur; cujus est vulgata Definitio, Quæ habet *partes extra partes*; h. e. aliquo (quocunque tandem) modo *non-simul*. Est & alia huic Analoga, quæ vocatur *Quantitas intensa* & *virtutis*; quæ est revera Qualitas, extensæ Quantitatis æmula; quæ non tam partes extra partes, quam gradus supra gradus habet. Hoc in genere *Quanta* dicuntur Virtus, Pondus, Perfectio, & similia; quæ tamen proprie loquendo sunt alterius Prædicamenti.

III. PRÆDICAMENTUM QUALITATIS.

§. 7. TErtio loco quæritur *Qualis sit* Substantia singularis? nam secundum jure obtinet Quantitas, Materiæ coæva; cui per se interminatæ & informi, accedens quæ vocatur *Qualitas* perficit Substantiam. Definitur autem *Qualitas* Forma accidentalis, à qua Subjectum dicitur *Quale*. Intellige, Est Accidens absolutum, à quo Substantia ita denominatur in concreto, ut Denominativum apte respondeat Quæstioni per *Quale simpliciter* factæ. v. g. Qualis est hic paries? Albus. Qualis ista Superficies? Gibba. Quodsi quæreres per *Quale quid*, h. e. per Quale Essentiale; vel per *Quale quantum*, *Quale agens*, &c. h. e. per Quale Accidentale cum aliquo additamento, Quæstio non esset hujus loci.

Qualitatis quatuor sunt species; singulæ binomines; cujusque membra solo gradu diversa. Quippe Qualitas omnis est vel *Insensibilis* quæ non infert sensui passionem; vel *Sensibilis* quæ infert. Insensibilis iterum, vel *Innata*, quæ ab ipsa rei manat essentia & proinde non potest removeri: vel *Adventitia*, aliunde accedens, adeoque mobilis à Subjecto. Hæc est *Habitus & Dispositio*, revera species secunda, sed quæ prima solet numerari: illa est *Potentia & Impotentia naturalis*, vulgo species secunda, sed revera prima. Qualitas quoque Sensibilis est duplex: nempe Sensus objectum vel unius proprium, quæ est *Qualitas patibilis & Passio*; vel plurium commune, quæ dicitur *Forma & Figura*: illa tertia, hæc quarta species Qualitatis.

I. POTENTIA *Naturalis & Impotentia* (quæ est tantum Potentia imbecillis) conjunctim definiuntur Qualitas insensibilis, à natura insita, ut sit principium proximum alicujus actus; ut *risibilitas*. Estque duplex. 1. *Activa* qualis est potentia productiva caloris in igne; hujus Actus est *Actio*. 2. *Passiva* qualis est potentia receptiva caloris in aqua; hujus Actus est *Passio*.

Series Potentiæ naturalis

Commodissime texitur percurrendo seriem Substantiæ, & cuique Generi assignando id quod potest naturaliter. Immensum opus, atque arduum, sed nec valde hoc in loco necessarium; Sufficiet nobis quæ sequitur qualiscunque ejus adumbratio.

Potentiæ naturales hæ sunt.

SUBSTANTIÆ, posse substare Accidentibus; posse loco contineri, posse moveri & quiescere: *Spiritus*, posse intelligere sine phantasmate à sensu recepto: *Angeli*, posse angelice subsistere, ita ut corpus nequeat informare: *Animæ rationalis*, posse corpori uniri, ut illius forma informans.

CORPORIS, posse locum implere, posse loco circumscribi: *Cæli*, posse resistere qualitati cuivis corrumpenti: *Elementi*, posse uno tantum simplici & recto motu ex se moveri: *Imperfecte misti*, posse cito evanescere: *Perfecte misti*, posse putrefieri. *Metallorum*, & *Lapidum* vires, à Physicis sunt petendæ.

VIVENTIS, posse nutriri, augeri, minui, adolescere, senescere, mori: *Plantæ*, posse vegetari & nutriri sine sensu. *Arborum & Herbarum* vires à Physicis Medicisque sunt petendæ.

ANI-

ANIMALIS, posse sentire, imaginari, meminisse, vigilare, dormire, appetere, fugere, amare, odisse, &c. *Bruti*; posse sensu tantum non ratione cognoscere; quo spectant Animantium Proprietates quæ à Physicis traduntur.

HOMINIS posse ratiocinari, Scientias artesque discere, easdem docere, voluptatem percipere, ridere, dolore affici, flere, & similia.

Posse inquam hæc omnia. Ipsum enim ridere, & flere, &c. alio spectant. *Potentia* sive *Facultas* hujus Prædicamenti est; *Operatio*, alterius.

II. HABITUS & Dispositio (qui est Habitus tantum inchoatus) Conjunctim definiri solent Qualitas insensibilis Potentiæ superaddita, facilitans eam in suis actibus. Divisim vero, *Habitus* est Qualitas difficulter mobilis à subjecto; *Dispositio*, Qualitas quæ à subjecto facile removetur.

Series Habitus.

HABITUS vel est *Corporis*, vel *Animi*.

ANIMI, si Bonus sit, *Virtus*; si Malus, *Vitium* dicitur.

VIRTUS alia est *Infusa*, alia *Acquisita*.

Infusa quæ & *Theologica*, triplex est; Spes, Fides, Charitas.

Acquisita, nempe pluribus actibus, duplex est; *Intellectualis* scilicet vel *Moralis*.

INTELLECTUALIS est Habitus inclinans Intellectum, ut assensum Propositioni præbeat; quod si faciat Timide, est *Opinio*; si Confidenter, & sit falsa Propositio *Error*; sin autem vera, *Scientia* late sumpta; cujus secundum Aristotelem quinque sunt Species; quibus, (i.e. quibus inclinantibus) Intellectus assentitur,

1. *Principiis*, Theoreticis, Practicis, Poëticis; hæc est *Intelligentia*. 2. *Conclusioni*; si necessariæ per causas primas, est *Sapientia*; 3. si per proximas, est *Scientia*: 4. si versetur circa agibilia, est *Prudentia*; 5. si circa effectiva, *Ars*:

Hæc relinquit post se opus; vel *Internum*, ut Artes *Mentales* sive *Liberales*; vel *Externum*, ut Artes quæ vocantur *Manuales*, & *Mechanicæ*.

MORALIS est Habitus Voluntatis. Hæc interdum simpliciter *Virtus* appellatur. Sunt autem quatuor Virtutes quæ vocantur *Cardinales*, Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo: quibus subordinantur aliæ; Liberalitas, Modestia, Mansuetudo, &c. *Semivirtutes* etiam, ut Misericordia, Obedientia, Tolerantia.

Virtuti in Mediocritate consistenti utrinque opponitur *Vitium*; aliud *in excessu*, ut Liberalitati Prodigalitas; aliud *in defectu*, ut eidem Parsimonia.

III. QUALITAS quæ si permanens fuerit appellatur *Patibilis*, & *Passio* si sit subitanea, est Qualitas sensibilis, minus diuturna, unico sensui passionem inferens: ut Color visui, Sonus auditui.

Series Qualitatis Patibilis.

QUALITAS Patibilis quæcunque, est Objectum proprium alicujus Sensus externi.

1. VISUS, estque triplex. 1. *Lux*, quæ est splendor in corpore lucido & illuminante. 2. *Lumen*, quod est splendor in corpore illuminato, & revera species Lucis; 3. *Color*, qui est Qualitas sensibilis, orta ex mistura lucidi & opaci: estque vel *Extremus*, qui est Albus vel Niger; vel *Medius*, ut Ruber, Viridis, &c.

2. AUDITUS, qui vocatur *Sonus* estque duplex. 1. *Fragor*, ex duorum quorumvis corporum collisione ortus. 2. *Vox*, ex Animantis ore prolata; cujus formandæ

Instrumenta novem sunt; Guttur, Lingua, Palatum,
Quatuor & Dentes, & duo Labra simul.

3. OLFACTUS, qui dicitur *Odor*; estque *Fragrans*, vel *Fœtens*. Utriusque magna Varietas.

4. GUSTUS, qui dicitur *Sapor*; estque Dulcis, Amarus, Acris, Acerbus, Austerus, Salsus, &c.

5. TACTUS, quæ vocatur *Qualitas Tangibilis*; Estque vel *Prima* quæ est quadruplex; Calor, Frigus, Humiditas, Siccitas: vel *à Primis orta*, ut Durities, Mollities, &c.

IV. FORMA & *Figura* definiri solent Qualitas sensibilis per se, qua alicujus corporis magnitudo terminatur. Apud Philosophos ita distinguuntur, ut Formam statuant esse rei *naturalis*; Figuram, *artificialis*.

Series Formæ & Figuræ

Complectitur res varietate pene infinitas, quarum tres sunt Classes præcipuæ.

1ª. FORMÆ *rerum naturalium*; quo spectant Formæ seu Figuræ 1. *Cœli* & Elementorum, rotundæ. 2. *Mistorum*; pro cujusque specie diversæ.

2ª. FIGURÆ *rerum artificialium*; puta Mensæ, Domus, aliorumque omnium arte-factorum.

3ª. Fi-

3[a]. FIGURÆ *rerum Mathematicarum*; quo spectant 1. *Lineæ*; Recta, Curva, &c. 2. *Superficies*; Plana, Curva, &c. 3. *Anguli*; Rectus, Acutus, Planus, Solidus, &c. 4. *Corpora Solida*; Planilatera, Curvilatera, &c.

Ad hanc speciem Qualitatis revocandi sunt *Numeri*; Pares, Impares, Plani, Solidi, Primi, Compositi, &c.

IV. PRÆDICAMENTUM RELATIONIS.

§. 8. QUæsitum est hactenus de Substantia per se & absolute spectata. Sed & habito ad alia respectu quæri solet, *Quomodo se habeat* hoc *ad illud* comparatum? vel *illius respectu*? vel *ad illud relatum*? apud Logicos enim quod *confertur* alteri, *ad illud* dicitur *referri*. Quare Accidens secundum quod fit responsio, vocatur *Respectivum*, & *Relatio*, & ab ipsa cui respondet quæstione *Habitudo* unius Entis ad aliud; quæ est vulgata ejus Definitio.

Potest autem quidlibet cum quovis alio, sed non semper apte comparari; ut *Scientia* cum *saxo*: Quædam vero, ut *Scientia* & *Scibile*, comparari quidem non postulant, sed bene possunt. Quorundam denique totum Esse ita est ad aliud, ut nisi cum alio comparata prorsus concipi nequeant. v. g. *Rex* & *Subditus*; *Parens* & *Proles*; quorum conceptus sese mutuo ingrediuntur. Hæc sunt proprie Relata Logica; quæ *Relata secundum esse*, & *Prædicamentalia* vocantur; nam eorum *Series* est Prædicamentum quartum. Illa altera, cum sint Entia absoluta, nec unius Prædicamenti, nec ex tota sua natura, sed per accidens sese mutuo respiciant; vocantur quidem *Relata*; sed *secundum dici*; & *Transcendentalia*; nec ad Logicam proprie qua Relata pertinere censentur.

Relatio tria complectitur. 1. *Relatum*; sive *Subjectum* quod refertur. 2. *Correlatum*; sive *Terminum ad quem* refertur. 3. *Fundamentum*; sive Causam in Subjecto cur referri possit.

Fundamentum duplex habetur. 1. *Remotum*, sive *propter quod fieri potest* referentia; 2. Proximum sive *per quod fit*; quæ & *ratio fundandi* dicitur.

Remotum triplex. 1. *Substantia*; ut inter Patrem & Filium. 2. *Quantitas*; ut inter Mensuram & Mensuratum. 3. *Qualitas*; ut inter Sensum & Sensatum.

Proximum duplex. 1. *Actio* & *Passio*; ut Generatio constituit Patrem Filii; Stipulatio, Dominum Servi. 2. *Unitas*; eaque

eaque vel *Identitas*, vel *Æqualitas*, vel *Similitudo*; ut Ovi ad Ovum mensura; Corporis ad Imaginem.

Series Relationis.

RELATIO est in *Personis* vel in *Rebus*.

IN PERSONIS. 1. *Inæqualibus*, quarum una in alteram legitimum habet imperium; ut Rex & Vasallus. Quo etiam spectant *Gradus consanguinitatis*, & *Affinitatis in linea recta*; ut Avus, Proavus, Abavus, &c.

2. *Æqualibus*, quarum neutra debet alteri imperare; ut Frater, Fratri. Amicus, Amico. Quo etiam spectant *Gradus consanguinitatis in linea collaterali*.

IN REBUS, est Relatio duobus modis; nempe orta

1. *à Quantitate*; unde dicitur Æquale, Inæquale, Majus, Minus, Par, Impar, Simplum, Duplum, &c.

2. *à Qualitate*; unde Simile, Dissimile, Melius, Pejus, Magis Minusve Doctus, Prudens, Albus, Viridis, &c.

"Relationis Termini, sunt vel *Cognomines*, ut Par Pari, "Amicus Amico; vel *Non-cognomines*, ut Pater Filio, Do-"minus Servo. Scholastici vocant *Relata Æquiparantiæ*, "& *Disquiparantiæ*: & Non-cognominum nobiliorem "*Relatum superpositionis*; minus nobilem, *Relatum sup-*"*positionis*.

V. PRÆDICAMENTUM ACTIONIS.
VI. PRÆDICAMENTUM PASSIONIS.

§. 9. PRædicamenta hæc duo, conjunctim commodissime tractantur. Ubi enim inquirenti de Substantia singulari, fit responsio per *Verbum Grammaticum*, Accidens hoc verbo connotatum, est in Actionis pariter & Passionis Prædicamento. *Actio* enim & *Passio* sunt una eademque res diversimode tantum considerata: ibi, ut *Vis fluens* ab Agente; hic, ut effectus qui in Patiens *recipitur*. v. g. Calefacere, est Calefactio *activa*, à Calefaciente *fluens*; Calefieri, Calefactio *passiva* in Calefacto *recepta*; hæc est in Prædicamento *Passionis*; illa, *Actionis*.

Quare cuilibet Actioni respondet Passio, & vicissim: Et similiter Agenti, Patiens. Est autem Patiens vel 1. Agenti idem; ut cum Homo incedit, cogitat, intelligit; & tum Actio vocatur *Immanens*, Passio *Intentionalis*: vel 2. Ab Agente diversum; & tum Actio vocatur *Transiens*, Passio *Transmu-*

Transmutativa, ut cum Aqua Calefit, Lignum Comburitur.

Series Actionis & Passionis

Ex Potentiæ naturalis ſerie quam facillime elici poſſunt. E.g. Potentia Ignis activa eſt *poſſe calefacere*; Ignis Actio, *Calefacere*. Potentia Aquæ paſſiva eſt *poſſe calefieri*; Aquæ Paſſio, *Calefieri*: & ſic de cæteris.

VEra admodum videtur quæ multorum eſt ſententia, quod in Prædicamento Paſſionis directe ponitur MOTUS: cujus ſignificatio *Generalis* complectitur Tranſitum quemcunque ab uno Termino ad alium; *Famoſior*, à Loco ad Locum; *Philoſophica*, mutationem ab una conditione ad aliam.

Fit autem Tranſitus ſeu Mutatio vel In inſtanti, vel Per gradus. Unde Motus Species numerantur ſex: Duæ priores *Inſtantaneæ*; Poſtremæ quatuor *Succeſſivæ*. 1. *Generatio*, quæ eſt Motus à Non-eſſe ad Eſſe Subſtantiæ: 2. *Corruptio*, quæ ab Eſſe ad Non-eſſe: 3. *Augmentatio*, quæ à minori Quantitate ad majorem: 4. *Diminutio*, quæ à majori ad minorem: 5. *Alteratio*, quæ ab una Qualitate ad aliam: 6. *Latio*, quæ à Loco ad Locum.

Definitur Motus ab Ariſtotele Τῦ δυνάμει ὄντ૭ ἐντελέχεια ᾗ τοιῦτον. *Actus Entis in potentia, quatenus in potentia*: h.e. Perficientia Entis tendentis ad perfectionem; vel Entis quod poteſt fieri, procedentis ut fiat. Dum enim Mobile eſt in *Termino à quo*, nondum Motus eſt; cum in *Termino ad quem*, Motus deſiit: In utroque Termino Quies; ſolo igitur in Tranſitu Motus eſt.

VII. VIII. PRÆDICAMENTA UBI ET QUANDO.

§. 10. SI per *Ubi* fiat Quæſtio, fit plerumque reſponſum per (aliquid quod ſenſu ſaltem eſt) Adverbium Loci. v.g. Ubi eſt Socrates? Ibi, Domi, In Suburbano. Quæſtioni *Quando* reſpondet vel Adverbium Temporis, vel quod talis Adverbii inſtar eſt. v.g. Quando natus eſt Sempronius? Hodie, Heri, Superiore ſeculo.

Ubi autem, eſt *Eſſe in Loco*; & Quando, *Eſſe in Tempore*: non *Locus* & *Tempus*, quæ ſunt in Quantitate; non *Res quæ eſt in Loco*, aut *Tempore* quæ eſt Proprie ſaltem & Primario in Subſtantia.

Apud Philoſophos Ubi tribus nominibus, & totidem Quando diſtinguitur.

Ubi 1. *Repletivum* dicitur quæ eſt Omnipræſentia, & ſolius Dei. 2. *Definitivum* (Eſſe hic, non alibi) competit Spiritui. 3. *Circumſcriptivum*, Corpori. Definitivum eſt Præſentia rei in *Spatio*; Circumſcriptivum in *Loco*.

Quando, eſt 1. *Æternitas*, quæ nec initium habet nec finem: 2. *Ævum*, quod initium, non finem: 3. *Tempus*, quod initium & finem.

Series Ubi,

Explicatur percurrendo Seriem Subſtantiæ, & ſuum cuique Ubi aſſignando. E. g. Ubi *Subſtantiæ in Genere* eſt Eſſe in Loco Definitive: *Spiritus*, Eſſe in Loco Definitive tantum, ut nequeat circumſcribi: *Corporis*, Eſſe in Loco Definitive, ut poſſit circumſcribi: *Summi Cœli*, ut poſſit circumſcribi, ſed non actu circumſcribatur: Firmamenti eſſe circumſcriptive in prima Sphæra. &c.

Series Quando.

Quando eſt Præteritum, Præſens, Futurum: h. e. Eſſe in Præterito, Præſenti, Futuro, Die, Menſe, Anno, Seculo, &c.

IX. PRÆDICAMENTUM SITUS.

§. 11. PRopter Vocum penuriam (inquit *Occam*) deeſt propria Quæſtio cui reſpondeat *Situs*: qui Quid ſit dictu eſt difficile; nam ad *Figuram* valde accedit; ex quorundam vero ſententia ab *Ubi circumſcriptivo* nihil differt. Peracute Scholaſtici *Ubi* inquiunt *totum Corpus* commenſurat *Loco*; *Situs* admetitur *partes* Corporis *partibus* Loci. Poſitio Partium reſpectu Totius eſt *Figura*; reſpectu Loci, rerumque aliarum *Situs* eſt. Quare

Series Situs

Propter reſpectum ad Locum & ad alia corpora, adſciſcit ſibi multa, quæ ſecus eſſent alio referenda. v. g. 1. *A Quarta ſpecie Qualitatis*, Poſituras corporis, puta ſtantis, ſedentis, &c. 2. *Ab Actione*, Geſtus varios Ambulantis, ſaltantis, &c. 3. *Ab Ubi*, Adverbia Ante, Retro, A dextra, &c. 4. Orientem, Occidentem, & cætera Horizontis puncta, Aſtronomis *Azimutha*; Nautis *Rumbas*: quin & Situm Horizonti rectum, parallelum, obliquum, &c. propter reſpectum ad Locum aliaque corpora ſibi vendicat.

X. PRÆ-

X. PRÆDICAMENTUM HABITUS

§. 12. NOn videtur Quæſtionem aptam & ſibi propriam vendicare, niſi hic (ut in Situ poteras) per vocem ipſam aut per æquipollentem interroges. Reſpicit vero *Habitus* externa omnia & ſola quæ quis *Habere* dicitur. Neque vero res ipſæ ſecundum vel Materiam vel Formam, ſed earum *Habitio* hujus loci eſt: v. g. Veſtitum eſſe, non Veſtis.

Series Habitus.

HABITUS vel eſt *Proprie* vel *Figurate* dictus.

Proprie dictus, eſt rerum quidem aliarum ſed præſertim *Hominis* & *Bruti*.

HOMINIS eſt *Indumentum* vel *Supellex*.

Indumentum eſt quod Corpori adjacet. Eſtque 1. *Militare*, ut Arma, & Armatura; 2. *Civile*, quod eſt duplex. 1. *Neceſſitatis*, Tegumentum. 2. *Decoris*, Ornamentum: Idque vel *Internum* ut Camiſia, Interula, &c. vel *Externum* ut Toga, Pallium, &c.

Addunt alii *Habitum Pœnæ*, ut Compedes, Tunicam lapideam, &c. Quæ alii rejiciunt.

Supellex hoc loco appellatur Res externa quæcunque quam Habere recte dicimur; ut ſunt Domus, Servi, Latifundia, Regna, &c.

BRUTI, puta *Equi*, Frænum, Phaleræ, Ephippium, &c. *Accipitris*, Capitium, Lemniſcus, Tœnia, &c. *Canis*, Millum, & ſi qua alia ſunt ornamenta.

"Interdum *Arbori*, *Columnæ*, aliiſque Rebus Ornamen-"ta ſeu Voluptas ſeu Superſtitio appendit; Item *Statuis* Or-"namenta eadem quæ Rebus expreſſis: Ea ipſa huc licebit "revocare; non eorum Imagines arte factas.

Figurate dicitur *Habitus* etiam de Rebus aliis; ut cum Arbor Foliis *ornari* dicitur, Terra Arboribus *veſtiri*, Ædes Supellectile *inſtrui*, &c.

Solent & alibi Scholaſtici octo *modos Habendi* numerare, ut in Diſticho:

Quale quid, aut Quantum, Corpus Partemve quod ornat,
Et Pars, Contentum, Poſſeſſio, & Uxor *habentur*.

Quorum tertius tantum & quartus ad Prædicamentum Habitus ſpectant; primus enim ad Qualitatem; ſecundus ad Quantitatem; quintus ad Subſtantiam, ſextus ad Ubi, poſtremi duo ad Relationem.

Necdum tamen explicata est vocum Ἔχειν & Ἕξις tota laxitas; Nam & alia significat *Habitus*, & præsentiam cujuscunque Accidentis; quo sensu *Privationi* opponitur, ut inferius dicendum est.

§. 13. SCholastici cuique Prædicamento Proprietates assignant; quas suo scilicet instituto sufficere arbitrantur: nam nec omnes, nec præcipuas; quasdam etiam communes.

PROPRIETATES

I. SUBSTANTIÆ completæ numerantur sex. 1ª. (Quæ tamen incompletæ pariter & infinitæ convenit) Substantia non inest in Subjecto; Intellige, est Ens per se subsistens; quæ non tam Proprietas est, quam Essentia Substantiæ; unde nascitur quod omittunt Proprium quarto modo, Accidentibus substare. Substat vero ut *Subjectum Quod*, h.e. quod sustentat Accidens: Potest enim Accidens esse *Subjectum Quo*, h.e. quo mediante aliud Accidens inhæret; ut Color Corpori mediante Superficie.

2ª. Substantia de Subjectis suis univoce prædicatur. At nec Omnis, neque enim Prima; nec Sola, nam & Differentiæ Substantiales: Quare hæc non Proprietas est, sed Communitas.

3ª. (Quæ est Propria primo modo) Substantia significat *Hoc Aliquid*; nempe Prima significat *Hoc*, i.e. Substantiam; *Aliquid*, i.e. Individuam.

4ª. (Quæ secundo modo) Substantia non habet Contrarium. "*Habere Contrarium* dicitur cui est aliquid Contrarie "oppositum. *Opponi* vero duo quæ se non permittunt in eo-"dem, respectu ejusdem; nam si Unum Pluribus repugnet, "*Disparata* dicimus. Definiuntur *Opposita*, quæ de eodem "simul dici nequeunt; Estque *Oppositio incomplexa*, sive Ter-"minorum simplicium, omnino quadruplex. 1. *Relativa*, "inter Terminos *Relativos*, ut Patrem & Filium. 2. *Con-*"*traria* inter *Contrarios*; h.e. Absolutos ejusdem generis, "à se invicem maxime distantes, & sese mutuo pellen-"tes è subjecto alterutrius capaci; ut Album & Nigrum. "3. *Privativa* inter *Privativum* & *Positivum*; (seu, ut "vulgo dicitur *Privationem* & *Habitum* pro præsentia "Accidentis acceptum) ut inter Videntem & Coecum "4. *Contradictoria*, inter *Positivum* & *Negativum*, In-"tellige *Finitum* & *Infinitum*, ut Hominem & Non-"hominem. Hæc est Oppositionum maxima, quia nullum

"ad-

"admittit *Medium*; neque *Participationis*, ut eſt Fuſcum re-"ſpectu Albi & Nigri; neque *Abnegationis*, ut eſt Lapis in-"ter Videntem & Coecum: Relativa contra, omnium mini-"ma; nam Relata non ſunt Contraria, niſi ad idem ſumantur.

Jam Subſtantiæ nihil eſt Contrarium. Neque enim Accidens, quia non eſt ſub eodem Genere: neqne Subſtantia, quia cum neutra inſit in Subjecto, neutra aliam è Subjecto poteſt expellere. Sed intellige Contrarium *per ſe*; nam *per Accidens*, gratia Qualitatum, poteſt dici Subſtantia Subſtantiæ ut Aqua Igni contraria.

5ª. (Quæ ſecundo itidem modo) Subſtantia non ſuſcipit Magis & Minus. "*Suſcipere Magis & Minus*, eſt cum Adver-"biis *Magis* & *Minus* prædicari; aliis verbis, *Intendi*, & *Re-"mitti*. Intendi autem eſt *acquirere*, & Remitti eſt *deper-"dere* plures partes *graduales* (quas & *Entitativas* vocant) "in eadem parte Subjecti. Utrumque cernitur in Qualitate, "cui præcipue, immo ſoli proprie convenit, ejuſque gratia "rebus cæteris. Jam Subſtantia nulla Intenditur aut Remittitur, quia ſimul & ſemel tota fit: nulla ſuſcipit Magis Minuſve *quoad Subſiſtentiam*, quæ conſiſtit in Indiviſibili: *quoad modum* tamen *ſubſtandi*, quæ pluribus ſubſtat *Magis Subſtantia* appellatur.

6ª. Subſtantia (quod eſt illi maxime, & quarto modo proprium) eadem numero manens poteſt Subjectum eſſe Contrariorum; non quidem omnium, ſed (quod ſufficit) quorundam; ut Aqua, Caloris & Frigoris. Hoc ne ſoli tribuatur Subſtantiæ, videtur etiam Oratio Verum Falſumque ſuſcipere; ſed cum ſuſcipit non mutatur; Subſtantia mutatur: Eſtque Subſtantia Subjectum Contrariorum; non Oratio Veri & Falſi; hæc enim ſunt in animo concipientis ut *in Subjecto*; in oratione ut *in ſigno*; in re ſignificata, ut *in fundamento*.

II. QUANTITATIS tres. 1ª. Secundo modo; Quantitati nihil eſt contrarium; nequit enim è Materia expelli. Sed intellige Contrarium *per ſe*; nam *per Accidens* poteſt una alteri, v. g. Superficies alba nigræ eſſe contraria. Magnum Parvo, Multum Pauco, &c. videntur Contraria; ſed *qua talia* non ſunt Quanta, ſed Relata.

2ª. Secundo modo; Quantitas non ſuſcipit Magis & Minus; *Intenſive* ſcilicet; poteſt enim *Extenſive*: & de ea Magis Minuſque prædicari *Adjective*, ſed non *Adverbialiter*: Sed & hoc intellige ſi ſenſum, non ſemper ſi vocem ſpectes.

3ª. Quar-

3ª. Quarto modo; A Quantitate res dicuntur æquales & inæquales: *Causaliter* à Quantitate, *Formaliter* à Relatione. Nam Quantitas est Causa proxima Æqualitatis, quæ est Forma abstracta à qua fit Denominatio.

III. QUALITATIS tres. 1ª. Primo modo. Qualitas habet Contrarium. Sed non omnis; neque enim Potentia naturalis aut Figura. Quin & aliquibus primæ tertiæque speciei (v. g. Habitui canendi, Luci, Mediis Coloribus, &c.) nihil Contrarie, sed suæ tantum Privationes opponuntur. Virtus quidem & Vitium *in Genere* sumta sunt Contraria, maximeque distant: sed *in Specie*, extrema vitia magis distant à se invicem quam media virtus ab alterutro.

2ª. Primo modo; Qualitas suscipit Magis & Minus; h. e. Intenditur & Remittitur; sola quidem, ut dictum est; sed non omnis; neque enim Potentia naturalis aut Figura, v. g. Est Triangulum aliud alio *majus*; sed non Magis Triangulum.

"N. B. Quod *Intensio* apud Philosophos octonis gradibus
" definitur; quorum quilibet inter 1 & 8 medius & Intensus
" habetur & Remissus prout ad inferiorem superioremve
" comparatur. Et dicuntur Elementa singula proprias habere
" Qualitates *ut octo* h. e. in gradu summo; Ignis Calorem;
" Aer, Humorem; Terra, Siccitatem; Aqua, Frigiditatem:
" Reliqua Corpora Qualitates ita temperatas ut binarum si-
" mul octo sint gradus.

3ª. Quarto modo; Secundum Qualitatem Res dicuntur Similes & Dissimiles. Intellige (ut in Quantitate dictum est) *Causaliter* à Qualitate; *Formaliter* à Relatione.

IV. RELATORUM quinque. 1ª. Relatis aliquid est Contrarium: non *Per se*, sed Fundamenti gratia: Nam Contraria sunt Relata quorum contrariantur Fundamenta. Sed Relata secundum Esse neque Contrariantur omnia, (v. g. non Æquale & Inæquale) nec sola; nam & idem Qualitatibus convenit. Quare hæc non Proprietas est sed Communitas.

2ª. (Quæ est etiam Communitas) Relata suscipiunt Magis & Minus. Hoc Relatis *per se* non convenit; sed *per Accidens* Fundamenti gratia: Quare omnibus non convenit; sed nec solis; nam & Qualitatibus.

3ª. Relatis *secundum Esse* Proprium est primo modo, *Dici ad convertentiam*, h. e. Unum cum altero reciprocari in obliquo Casu. Ut Pater est Filii Pater; Majus, Minore Majus. Sed & Scibile est Scientia Scibile, quæ Relata sunt *secundum Dici*.

4ª. Iisdem

4ª. Iisdem eodem modo Proprium est Esse simul Natura. " *Simul*, *Prius*, & *Posterius* multis modis, & iisdem dici pos- " sunt. Sed in Logica, neglectis cæteris, hi tantum mo- " di recensentur.

" Tempore, Natura, *Prius* Ordine, Causa, & Honore.

" Tempore, Natura, Divisione *Simul*. Nam in Carmine " Scholastico non attenditur ad Quantitatem Syllabarum.

" *Natura Prius* est (ut præteream Modos reliquos, sine ex- " plicatione perspicuos) quod ad suum Esse non postulat id " ad cujus Esse postulatur. Ut sunt Duo tribus priora Na- " tura, quia possunt Duo sine Tribus esse; non *vicissim* Tria " sine duobus. *Natura simul*, quorum utrumque supponit " alterum, neutrum causat; ut Pater & Filius: nam Paterni- " tas non est Causa Filiationis, sed ex Generatione simul am- " bæ nascuntur. Quare Hæc *Reciprocari* dicimus, Illa *Non* " *Reciprocari secundum existendi consequentiam*; Ibique U- " num altero *Prius*, hic utrumque *Simul*, *in Consequendo*, Nam " & aliquid Natura prius *in Causando* est, ut Effectu Causa in " Conceptu scil. Absoluto, non Relativo: & Natura simul " plura *in Dividendo* sive *Divisione*, ut sunt Species ejus- " dem Generis.

5ª. (Quæ ex quarta sequitur & est Propria Quarto modo) Relatorum uno definite cognito, definite cognoscitur alterum. Est autem *Definite* non *Distincte* solum & *in Particulari*, ut opponitur τῷ *Confuse*; sed per Veram & Essentialem Rei Definitionem cognoscere.

V.---X. ACTIO & PASSIO Habent Contrarium; & suscipiunt Magis & Minus. UBI, QUANDO, SITUS, HABITUS nec Contrarium habent, nec Magis Minusve suscipiunt.

§. 14. QUæ sunt hujus Capitis diverso ordine traduntur in Libro Κατηγοριῶν, qui in Aristotelis Organo locum obtinet secundum. Hunc Librum Author in tres partes dispescit; & in Parte prima, quam Προθεωρίαν vocat, Primo Æquivoca, Univoca, & Denominativa *definit*. Tum duas *Divisiones* affert: Unam Rerum, in Substantiam & Accidens; Vocum alteram, in Complexas & Incomplexas. Postremo duas *Regulas* adjungit, de quibus Nos Capite sequenti. Hæc in Genere tria, in Specie septem *Antepædicamenta* dicuntur, quia hoc in Libro Prædicamentorum doctrinæ sunt præmissa.

In secunda Parte de Prædicamentis agit; præsertim de quatuor prioribus. Ea Definit, Dividit, & Proprietates modo decla-

declaratas, suas cuique subjicit: sed Relata præmittit Qualitati; quod contra decuit, Qualitatem Relatis. Postrema sex Prædicamenta, ut facilia, & minoris momenti, quippe non tam Res quam Rerum Modos & Minutias complectentia, nominare plus satis habet.

In Parte Tertia quam Ὑποθεωρίαν vocat, quinque capitibus explicat Oppositorum, Prioris, Simul, Motus, & Habendi modos: quorum doctrinam non necessitate aliqua, sed suo tantum arbitratu, hunc in locum distulit. Qua de causa (& quidem sola) à Scholasticis *Postprædicamenta* appellantur: unde versus,

Opp. Pri. Mo. Simul. Ha. tot sunt Postprædicamenta.

LIB. II. CAP. II. *De Axiomatibus ad Demonstrationem utilibus.*

§. 1. DAri Certitudinem, immo & Scientiam non est operose probandum. Nam si Pythagoras *Sapere*, h. e. res divinas humanasque, causasque quibus hæ res continentur cognoscere, idque tanta Evidentiæ Certitudine, ut falli se nusquam posse exploratum habeat, non hominis, sed Dei solius esse docuit; aut si Nihil se scire Socrates nisi id ipsum constanter asseruit; neuter idcirco omnem vel à rebus ipsis, vel à mente nostra Certitudinem removit. Nam Pythagoras esse aliquem Sapientiæ gradum arbitratus est, ad quem posset mens humana pervenire; quem & sequi se eo ipso professus est quod *Philosophum* sese appellaret: Socrates vero nihil amplius voluit, quam de qualibet fere quæstione in utramque partem probabiliter dici posse; de utravis igitur nihil temere statuendum; sed perpensis omnibus quæ in utramque partem dicerentur, quod animum suum maxima probabilitate percuteret, eo uti oportere Sapientem.

Quare è Pythagoræ disciplina profectus *Pyrrho*, è Socratica *Arcesilas*, quorum ille *Scepticorum* Princeps, de omnibus dubitare instituit; hic ne dubitandum quidem censuit, sed omnia pronuntiavit ἀκατάληπτα, Magistri sui sententiam uterque deseruit, aliamque commentus est ineptam, & à vitæ communis ratione prorsus abhorrentem. Quorsum enim disputabant, si Concludi nihil posse statuerent? aut quis est qui aliquam vitæ rationem teneat, si nihil quicquam esse existimet quo niti possit?

Sen-

Sentiunt profecto omnes, & fatentur Cordati multa sibi constare: diversa quidem Certitudine, & dispari Evidentia, sed utcunque satis explorata. Nam perito homini & probo libenter assentimur; libentius, si quod asserit ratione confirmet: Quædam neque teste indigent, neque ratione, quæ Natura duce amplectimur; quædam etiam accepimus divinitus revelata. Est igitur ubi nos Autoritas divina, ubi insita Naturæ vis, ubi rationum pondus, ubi hominum reverentia commoveat, ut quod harum rerum aliqua confirmat, in eo Animus tanquam vero libenter acquiescat: etsi non eadem in omnibus propensione, sed in iis promptius & libentius, quæ ab omni erroris periculo remota longius arbitratur.

§. 2. UBi nos commovet Autoritas, Testimonio assentimur; idemque est quod vocamus *Credere*; & Assensui nomen *Fides* est. Appellatur autem *Fides divina* quæ divino nititur Testimonio; *Humana*, quæ humano. Quæ Natura duce amplectimur, ea nos *Percipere*, quæ docet Ratio, *Cognoscere* non incommode dicemus.

Deus nec errare potest, nec decipere; at sæpissime falluntur Homines & sæpe fallunt: media quadam fide nobiscum agunt Ratio & Natura; quæ si ipsæ fallantur interdum, tamen se sequentem rarius in errorem ducunt. Fide igitur divina nihil est stabilius; nihil tam lubricum quam humana; nam in illa nulla est *Erroris possibilitas*; in hac magna semper *suspicio*: in cæteris quæ percipimus, quæque cognoscimus, sæpe nullus erroris *metus*, sed aliquod semper est *periculum*: unde animus in Fide divina summum obtinet quietis gradum; in humana, infimum; in cæteris medios, proque Objecti Evidentia, Certitudine, Probabilitate diversos.

Quod si libuerit quandam quasi *Assensus Scalam* construere, erunt in ea Gradus sex hoc ordine numerandi. 1. *Fides humana*, quæ est agnitio Propositionis dubiæ: 2. *Opinio* quæ Probabilis: 3. Caret nomine, sed vocari potest *Sententia*, quæ est Propositionis certæ: 4. *Scientia* quæ est Conclusionis certæ & evidentis: 5. *Intelligentia*, quæ est Principii indemonstrabilis: 6. *Fides divina*, quæ est Propositionis infallibilis.

§. 3. CUilibet Assensus gradui sunt Effata quædam congruentia, quæ & illi pariendo sunt idonea: quæ quidem omnia appellantur interdum *Axiomata*, & à Nobis sunt deinceps appellanda: Etsi proprie loquendo *Axioma* sit ea tantum Propositio, quæ cum negari nequeat, probari ne-

que indiget, neque poteſt. Quippe cujus eſt tanta Certitudo, tam illuſtris Evidentia, ut Terminis ſuis rite intellectis Aſſenſum quaſi extorqueat; nec eſt aliquid illa clarius per quod demonſtretur.

Ad hanc proxime accedit quod *Savilius* Ἀξιωματώδη vocat; Propoſitio quæ probari non indiget, ſed tamen poteſt. Hujus enim *poſterior* Evidentia, quia *Diſcurſiva* eſt, Axiomatis vero *Intuitiva*. Quapropter Axioma eſt *natura ſua* Evidentius, etſi fuerit (ut interdum accidit) *quoad nos* intellectu difficilius.

Utriuſque Generis Effata pene omnes ſibi vendicant Diſciplinæ; quorum pauca Speciminis gratia recenſere, & eorum ſenſum ubi opus eſt aperire conſtituimus; ſumpto inde Principio ubi maxima habetur Certitudo.

Axiomata de Fide divina.

§. 4. 1. DEus nec errare poteſt nec decipere; unde manant duo quæ ſequuntur Ἀξιωματώδη.

2. Teſtimonio Divino, (rite agnito, riteque intellecto,) abſoluta Fides adhibenda eſt.

3. Quod divinitus revelatur neque Rationi unquam neque Senſui contradicit. Eſt ubi utrumque *ſuperet;* ſed neutri uſpiam *contradicit*, circa proprium Objectum munus ſuum rite obeunti.

Axiomata Mathematica.

§. 5. 1. 2. TOtum eſt majus ſuis partibus ſingulis; æquale univerſis. *Ax.* 9. *e.* 1.

3. Quæ eidem ſunt æqualia inter ſe ſunt æqualia. *Ax.* 1. *e.* 1.

4. 5. Si æqualibus addantur vel demantur æqualia, ibi Tota, hic Reliqua ſunt æqualia. Si vero inæqualibus, inæqualia. *Ax.* 2. 3. 4. 5. *e.* 1.

6. 7. Ejuſdem vel æqualium tam æquemultipla, quam æqueſubmultipla ſunt æqualia. *Ax.* 6. 7. *e.* 1. Sequitur ex 4. 5.

Sub eodem Titulo reponenda ſunt quæ ſuperſunt Geometrica pariter & Arithmetica Axiomata; quæque in ſcientiis Mathematicis quas *Mixtas* vocant adhibentur.

Axiomata Metaphyſica.

§. 6. 1. IMpoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Hoc eſt proprie dictum Axioma; quippe certum, evidens, & indemonſtrabile.

2. Quodlibet eſt vel non eſt: quod videtur quidem præcedenti

denti ſimplicius, ſed non eſt prius; poteſt enim ex eo *Oblique* demonſtrari.

3. Ex duobus hiſce ſequitur, quod Affirmatio & Negatio, de eodem ſecundum idem, nequeunt eſſe ſimul veræ. Vel ut Logici loquuntur Duæ Contradictoriæ nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ eſſe poſſunt. Sed notandum eſt ad Contradictionem requiri quatuor: nempe loqui de eodem 1. Eodem modo: 2. Secundum idem: 3. Ad idem: 4. In eodem tempore: quarum conditionum ſi defuerit aliqua, poſſunt *Eſt* & *Non-Eſt* inter ſe bene convenire. E. g. 1. Cadaver hominis eſt, & non eſt homo: *Eſt* enim homo mortuus; *Non eſt* homo vivus. 2. Zoilus eſt & non eſt niger: *Eſt* enim crine ruber, niger ore. 3. Socrates eſt & non eſt comatus: nempe *eſt* ad Scipionem, *non eſt* ad Xenophontem comparatus. 4. Neſtor eſt & non eſt ſenex: *Eſt* enim ſi de tertia ejus ætate, *non eſt* ſi de prima loqueris.

4. Quicquid eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Sequitur ex primo; quia maxima eſt ejus neceſſitas cujus Oppoſitum eſt impoſſibile.

Axiomata Logica.

§. 7. IN hiſce primum locum obtineant Duæ Regulæ Anteprædicamentales.

1. Quando alterum de altero tanquam de Subjecto prædicatur (*directe ſcilicet & affirmative*) quicquid (*per ſe & directe*) prædicatur de Prædicato, prædicatur etiam de Subjecto. Ut Animal de Homine, Corpus de Animali, Ergo Corpus de Homine quoque prædicatur. *Directa* autem dicitur Prædicatio, ubi de inferiori ſuperius, vel æquale de æquali prædicatur: *Per ſe*, quando Prædicatum vel è Prædicabilibus quatuor prioribus unum eſt, vel ex iis conflatum. "Hujus "Regulæ uſus eſt ad monſtrandum ordinem inter Superiora "& Inferiora ejuſdem Prædicamenti: & ad rem quamcunque "propoſitam expeditius certiuſque in *Sua* ſerie reponendam.

2. Diverſorum Generum non Subalternatim poſitorum (h. e. quorum neutrum in altero eſſentialiter continetur,) diverſæ ſunt Species & Differentiæ; v. g. *Animalis & Virtutis*: Subalternatim poſitorum, v. g. *Animalis & Corporis*, eaſdem eſſe nihil prohibet. "Uſus Regulæ eſt potiſſimum ad vitan-"dam confuſionem Prædicamentorum, & ad diſtinguendas "inter ſe res quæ ad Prædicamenta pertinent diverſa.

3. Quæ conveniunt in Uno aliquo eodemque tertio, ea con-

conveniunt inter se. Cui adjungi possunt cætera Syllogismi Principia, de quibus *Libro priore Cap.* 3. *pag.* 14.

4. Quod prædicatur Universaliter de alio, prædicatur similiter de omnibus sub eo contentis, sive Affirmative, sive Negative prædicetur. Hoc est celebre illud *Dictum de Omni & Nullo*; Aristoteli Fundamenrum Syllogismi; cujus mentem, usumque supra exposuimus. *Lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 20.

§. 8. CÆteris Artibus & Scientiis nulla esse Axiomata plerique autumant. Quod si ita sit, non videtur ipsi Rerum Naturæ, sed nostræ potius inertiæ tribuendum. Nam cum ipsius Physicæ tot partes sint adeo luculenter demonstratæ, quid esse causæ putemus cur in cæteris idem non potuerit præstari, modo eadem omnes solertia fuissent excultæ? Nec videtur Moralis Philosophia Demonstrativam Methodum refugere, etsi nondum sit adepta: sed utiliter hac in re sibi defuit humana Ratio, quando recte vivendi Principia cum majori Certitudine pariter & Autoritate divinitus essent revelanda.

Verum in iis Disciplinis quas Philosophi negant *Demonstrare*, magnam tamen *Certitudinem* reperiri posse confitentur: & reperta esse Effata, apud sanos omnes Axiomatum instar indubia, quibus si non *Scientia*, quæ ad illam proxime accedit, quam *Sententiam* ante diximus, pariatur. Ad hanc itaque Classem revocanda sunt, quæ ex communi Lege Naturæ, recte rem reputantibus, certa sunt, & perspicua: ut *Ex Nihilo Nihil fieri*; *In Nihilum Nil posse revocari*; *Nihil aut fieri sine Causa*, aut *sui ipsius Causam esse*; aliaque plura hujus generis, de quibus posse dubitare non mediocris est insaniæ. Porro *Deum esse*, & *Parentes coli oportere*, nulla est gens tam barbara quæ non agnoscat; *Quodque fieri Tibi nolis, id ne alteri facias*, ipsi etiam infantes sine ulla disciplina prohibent.

Fuere inquies qui de hisce omnibus dubitaverint: At fuere etiam (sic enim accepimus) qui de Principiis quoque Mathematicis dubitarent. Potest contra disputari: Sed, quæ est illa tam indubia Propositio, cui Sophista nequeat contradicere? Si instes, posse hæc omnia Ratione concludi, Posse quidem, confitendum est; sed cur indigeant, non apparet: aut cur habendus sit rectæ rationis compos, si quis ea sibi neget constare, quæ sunt Infantibus Barbarisque manifesta. Sed de his alias: Nunc id quod largiuntur accipimus; & hujusmodi Principia in quarto gradu collocamus.

LIB.

LIB. II. CAP. III. *De Axiomatibus Syllogiſmo Topico inſervientibus.*

§. 1. OPinioni pariendæ quæ inſerviunt, Axiomata appellantur *Maximæ*: nam plerumque obtinent; & pleriſque probantur: verum nec omnibus, nec ubique; ſunt enim pleriſque ſuæ quæ vocantur *Fallentiæ*. Certos utriſque *Locos* aſſignavit Ariſtoteles; quorum qui ad Logicam proprie ſpectant ſacro illo ſeptenario numero definiuntur.

Locus I. CAUSA ET EFFECTUS.

§. 2. C*Auſa* eſt quæ Effectum producit; *Effectus* qui à Cauſa producitur. Cauſarum genera vulgo numerantur quatuor: *Efficiens*, à qua; *Formalis*, per quam; *Finalis*, propter quam; *Materialis*, ex qua, res fit. Sed hæc Diviſio huic Loco non eſt accommodata; Quare huc accerſunt Cauſam *Totalem*, *Partialem*, *Actualem*, *Potentialem*, *Remotam*, *Proximam*, *Per ſe*, & *Per Accidens*: de quibus has tradunt Maximas.

I. Poſita Cauſa ponitur Effectus; ſublata, tollitur: ut Si Sol oritur, dies eſt; ſin minus, non eſt. Fallit autem pars prior, 1. *In Cauſa remota*; ut qui vinum bibunt non ſemper ſunt ebrii: 2. *In Impedita*; ut poſito obice, grave non deſcendit: 3. *In Accidentali*; ut qui vertit ſterquilinium non ſemper offendit gemmam: 4. *In Per ſe inſufficienti*; ut Ager qui bene colitur non ſemper eſt fertilis.

Fallit & interdum poſterior: 1. *In Cauſa per Accidens*; ut qui non fodit agrum poteſt reperire theſaurum: 2. *In Cauſa quæ aliquando fuit*; ut manet ædificium mortuo Architecto: 3. *Cum idem Effectus à variis Cauſis oritur*; ut ſi quis gladio non pereat, poteſt morbo, aut alio quodam modo.

II. Poſito Effectu, ponitur Cauſa; ſublato, tollitur: ut ſi Luna patiatur Eclipſin, inter Lunam Solemque Terra interponitur; ſi non, non interponitur. Eaſdem cum præcedente habet Fallentias.

III. Qualis Cauſa, talis Effectus; & contra. Fallit 1. *In Cauſis & Effectis æquivocis*; ut deformis Pictor pulchram poteſt facere picturam. 2. *In Cauſa Materiali, propter aliquod extrin-*

extrinsecum; ut Aqua est fluida, sed non idcirco Glacies est.

IV. Quod facit tale, illud est magis tale: ut Ignis qui calefacit aquam est aqua calidior. Fallit 1. *Ubi utrumque non est tale*; ut vinum quod hominem reddit ebrium, non est homine magis ebrium. 2. *Ubi illud Tale non recipit Magis & Minus*; ut pater qui est causa cur filius sit homo, non est magis homo. 3. *In Causa per se non sufficiente*; ut Præceptor non semper est doctior Discipulo.

V. Causa prior est Effectu: nempe *Natura*, & Agentis *intentione*; non semper *Actu & Executione*.

Locus II. Subjectum et Accidens.

§. 3. SUbjectum hic intelligimus esse Omne id cui attribuitur aliquid præter ipsam sui essentiam: *Accidens*, esse illud attributum: sic Numerus est Subjectum *paritatis*, h. e. Accidentis. Hujusmodi tam Subjectum quam Accidens est, 1. *Proprium* vel *Commune*. 2. *Separabile*, vel *Inseparabile*. 3. *Inhærens*, sive internum, vel *Adhærens* sive externum. 4. *Antecedens*, vel *Concomitans*, vel *Consequens*; ut Nubes *antecedit* Pluviam; Eclipsin *comitatur* Plenilunium; Dies *consequitur* Auroram. *Signa* etiam, & *Circumstantiæ* huc pertinent.

Maximæ sunt istæ.

I. Posito Subjecto, ponitur Accidens *proprium*; & contra: ut si est homo, est risibilis, & contra. Hæc nusquam fallit.

II. Posito Subjecto, ponitur Accidens *commune*; non contra: ut si nix est, est alba; non contra. Fallit pars prior in *Accidente separabili*; ut si sit atramentum, non est necessario nigrum. Fallit quoque posterior, 1. *In Accidente proprio primo modo*; ut si sit scientia est homo. 2. *In Accidente individuo*, ut si sit hæc nigredo est Atramentum.

III. Si non sit Accidens *commune*, neque est Subjectum; sed non contra. Pares cum priori admittit Fallentias.

IV. Posita re, ponitur Loci & Temporis circumstantia; ut si Brutus Cæsarem occidit, Brutus *tunc*, & *ibi* vivebat, *quando* & *ubi* Cæsar periit.

V. Si cujuspiam Antecedens, Concomitans, vel Consequens ponatur, id cujus est Antecedens, Concomitans vel Consequens ponitur: ut si sit Eclipsis est Plenilunium: Fallit ubi Connexio non est necessaria.

Locus III. DISSENTANEA ET COMPARATA.

§.4. Dissentanea sunt vel *Opposita* vel *Disparata*; de quibus pag. 52. *Comparata* sunt vel respectu *Quantitatis*, ut æquale & inæquale; vel respectu *Qualitatis* ut simile & dissimile.

De Oppositis 1. *Relativis*.

I. Si sit alterum Relativorum, est & Reliquum; ut si sit Pater, est Proles. Fallit 1. *In Relatis secundum dici*: v. g. Posito scibili, potest non esse Scientia. 2. *In eodem subjecto*; ut Pater alicujus non est ejusdem Filius; nempe naturalis; Idem enim sibimetipsi, & multo magis alteri, potest esse Pater una & filius legalis; idque ex legitimo matrimonio.

2. *De Contrarie Oppositis*.

I. Si Contrariorum alterum sit, alterum non est; ut si Calidum, non Frigidum. Fallit *in Gradibus Remissis*. II. Sublato uno Contrariorum, ponitur alterum: Si nempe sit necesse ut eorum alterum sit. III. Contrariorum idem Genus est; idem Subjectum: ut si Albedo sit Color, est & Nigredo. IV. Contrariorum contraria est ratio, ut si Virtus sit amplectenda, fugiendum est Vitium. Fallit autem 1. *In Prædicatione Generis*; ut Album est visibile, nec idcirco Nigrum non visibile. 2. *In ratione Subjecti*; ut, Sanitas pertinet ad Animata, nec idcirco Morbus ad Inanimata. 3. *In Causis per Accidens*; ut, Doctus scribit, nec idcirco Indoctus nequit scribere. 4. *Ubi res dependet à dispositione materiæ*; ut, Calor indurat lutum; nec idcirco Frigus emollit. V. Majoris Boni Contrarium est majus Malum; & contra: ut, si Sanitas sit majus Bonum quam Sapientia; Ægritudo est majus Malum quam Insipientia. Fallit autem, *Ubi Bonorum alterum in altero includitur*; ut, Esse Philosophum est utilius quam scire literas; nec tamen utilius ignorare literas quam Philosophiam.

3. *De Privative Oppositis*.

I. Posito Habitu, tollitur Privatio; & Contra: ut si cæcus est, non videt; si videt non est cæcus. II. Sublato Habitu, ponitur Privatio & contra. Fallit autem 1. *In Subjecto incapaci*; ut Lapis non videt, nec tamen cæcus est.

2. *In*

2. *In tempore non debito*; ut Catulus ante diem nonum, etsi non videat cæcus dici non debet.

4. *De Contradictorie Oppositis.*

Unica est Maxima æternæ veritatis; nempe, Posito altero Contradictoriorum, tollitur reliquum; & sublato ponitur: ut si domus sit alba, non est non-alba, si sit non-alba non est alba. Confer Ax. 3. Metaph.

De Disparatis.

Si sit unum Disparatorum, non sunt reliqua: ut si Cicero est homo, non est bos. Fallit autem *In Accidentibus concretis*; ut Mel & flavum est, & dulce.

De Comparatis.

I. Similibus & Proportionalibus conveniunt Similia & Proportionalia; Dissimilibus, & non-Proportionalibus, Dissimilia & non-Proportionalia: ut si Alexander sit mortalis, est & Aristoteles: si uncia valet quinque solidos, duæ valent decem. Fallit autem, nisi intelligas *Reduplicative* sive quatenus tale: non enim sequitur Corvum esse rationalem quia Æthiops est: aut gemmam dupli ponderis, esse dupli præcise valoris.

II. *Magis*, *Minus*, & *Æque*, cum de *rebus* inter se comparatis, tum de Propositionum probabilitate dicuntur.

1. *Maximæ Generales De Comparatione rerum.*

I. Quod est natura tale, est magis tale quam quod per participationem; ut, *Sol est aëre lucidior.* II. Quod est tale per se, est magis tale quam quod per Accidens: ut, *Cibus est Medicina salubrior.* III. Quod à contrario magis distat, quam quod minus; ut, *Frigidius est sub Polis quam sub Tropicis.* IV. Quod magis efficit, quam quod minus; sic *Ignis qui magis calefacit est calidior.* V. Cui magis inest Causa, quam cui minus; ut, *Juvenis sene robustior est.* VI. Cui magis convenit Definitio, quam cui minus; sic *Medium quod ad Finem magis conducit est utilius.*

Hisce omnibus adhibenda est Limitatio *Cæteris paribus.*

2. *Speciales Maximæ de magis minusque bonis.*

I. Id est melius in quo plura sunt bona: unde, *Felicitas Peripatetica melior est Stoica.* II. Quod ad plura conducit est

eſt melius; ut *Juſtitia Fortitudine*. III. Quod propter ſe expetitur quam quod propter aliud; ut *Pax quam Bellum*. IV. Quod ſtabilius; ut *Sapientia quam Pulchritudo*. V. Quod per ſe bonum eſt quam quod per accidens; ut *bonæ Leges quam mali Mores*. VI. Quod ſolitarie bonum; ut *Αυταρκεία Divitiis*. VII. Quod ad meliorem finem conducit; ut *Artes Liberales quam Quæſtuariæ*. VIII. Quod nobilius habet objectum; ut *Theologia quam Medicina*. IX. Quod ad perfectionem conducit, quam quod eſt pure neceſſarium; ut *Viſus quam Tactus*. X Quod eſt fini propius; ut *Meſſis quam Sementis*. XI. Quod eſt meliori ſimilius; ut *Æs quam Plumbum*.

Quæ ſunt omnes intelligendæ cum limitatione *Cæteris paribus*.

3. *Maximæ de Probabilitate Propoſitionum.*

I. Quæ æque ſunt aut non ſunt talia, eorum ſi ſit alterum, erit & reliquum: ſi non ſit, nec reliquum: ut, *ſi Cibus ſit ad vitam neceſſarius, erit item potus*. II. Si quod magis videtur eſſe tale non ſit, quod minus, certe non erit; ut *ſi omnibus non placeat Virgilius, multo minus placebit Mævius*. III. Si quod minus videtur eſſe, ſit tale, etiam id quod magis; ut *ſi Fur ſit dignus ſuſpendio, multo magis Sacrilegus*.

Locus IV. CONJUGATA ET NOTATIO.

§. 5. C*onjugata* ſunt quæ propter affines ſignificationes ſoni etiam affinitatem ſortiuntur; ut *Juſtus*, *Juſtitia*, *Juſte*, &c. *Notatio* eſt vocis explicatio ſecundum Etymologiam; ut *Conſul* dicitur qui *Reip. conſulit*.

Conjugatorum Maximæ.

I. Cui alterum Conjugatorum convenit, eidem convenit & reliquum: cui non illud, neque hoc; ut *Qui juſtus eſt juſte agit*. Fallit 1. *In his quæ ſunt Conjugata tantum quoad vocem*. Neque enim *vinolentus* eſt quiſquis *vinum bibit*. 2. Quando arguitur *à paucis actibus ad habitum*; ut Qui *juſta agit* poteſt non eſſe *juſtus*. 3. Quando *à potentia ad actum*; ut non ſequitur Socratem *ridere* quia eſt *riſibilis*.

II. Si hoc illi conveniat, tum hujus Conjugatum illius Conjugato convenit; & contra: ut Si Albedo ſit Color, Album eſt Coloratum. Fallit 1. *Si major ſit affinitas in Sono quam in Senſu*; ut Si Vinolentia ſit mala, non idcirco vinum eſt.

2. *Si Affirmative arguas à Concretis ad Abstracta, ubi prædicatio non est per se*; ut Albedo non est ideo Dulcedo quia Album est Dulce. 3. *Si arguas Negative ab Abstractis ad Concreta*; ut Non sequitur Nullum album esse Dulce, quia nulla albedo est Dulcedo.

Notationis Maximæ.

I. Cui convenit Notatio, ei convenit Notatum; & contra: ut, *si Amor Sapientiæ præstet Disciplinæ militari, præstabit Philosophia*, cui est nomen ab amore Sapientiæ.

II. De quo dicitur Notatum, dicitur Notatio; De quo illud, etiam hæc negatur; ut, *Triangulum est* ergo *habet tres angulos*; *non est* ergo *non habet*. Fallit 1. *Si Notatio sit frigida*; ut Non sequitur *Magistrum* esse discipulo doctiorem quia *ter magis* scit. 2. *Ubi nomen manet, cessante nominis ratione*; ut cum *pendo, expendo*, &c. de nummis dicimus, quos *pendebant* olim, jam *numerant*. 3. Multis quoque modis aliis quos Per se quisque facile deprehendet.

Locus V. TOTUM ET PARS.

§. 6. TOtum vulgo definitur quod partium omnium unione absolvitur: *Partes* quæ in Toto uniuntur. Totum *Essentiale* habet Partes *Essentiales*; Materiam scilicet & Formam: Totum *Integrale* habet Partes *Integrantes*; quæ à se invicem ita situ differunt; ut possit pars à parte separari. Totum integrum *Homogeneum* est, quod constat partibus *Similaribus*; *Heterogeneum*, quod *Dissimilaribus*: Illæ sunt ejusdem cum Toto Naturæ pariter & Nominis; ut quælibet pars aquæ aqua est; Hæ à Toto & à se invicem, & Nomine discrepant & Natura; ut, Hominis Partes, Caput, Manus, Pes, &c.

Maximæ Totius & Partis.

I. Si Totum sit, sunt & Partes. II. Si Partes non sint, neque Totum est. v.g. Si sit Domus, est Paries; si non sit Paries, non est Domus. Fallit utraque *si Pars aliqua non sit simpliciter necessaria*: ut Homo est, amputato digito.

III. Sublato Toto, Partes tolluntur. IV. Positis Partibus, ponitur Totum. Fallit utraque *de partibus separatim sumtis*. v.g. Potest esse *Fundamentum*, ubi nondum est *Domus*.

Locus VI. GENUS ET SPECIES

§. 7. SEu potius *Generale & Particulare*; nempe Genus & Species *Topica*, quæ significant laxius quam quæ iisdem sunt nominibus *Prædicabilia*.

Maximæ Generis & Speciei.

I. Si Genus non sit, non erit Species; ut Si non sit *Animal*, nec est *Homo*, nec *Brutum*. II. Si Species sit, est Genus; ut Si sit *Homo*, est *Animal*.

III. Quod convenit aut non convenit Generi, convenit aut non convenit Speciei; ut si Animal sit *Sensitivum*, est & Homo. Fallit autem nisi intelligas *Universaliter*; Non enim Homo est *Irrationalis* quia *aliquod* Animal est. IV. Quod convenit aut non convenit Speciei, convenit aut non convenit Generi. Nempe *Toti Generi*, quod *Omnibus Speciebus*; ut si Homo, Bos, Equus, &c. sint sensibiles, tum omne animal est sensibile: Sed quod *alicui tantum speciei*, illud *Generi, ex parte tantum*; ut si Homo sit rationalis, erit aliquod Animal rationale.

Locus VII. DEFINITIO ET DIVISIO.

§. 8. DEfinitio hoc in Loco quamcunque adæquatam rei descriptionem, adeoque *Prædicatum convertibile* complectitur. *Divisio* hic sicut alias accipitur.

Definitionis Maxima.

Si sit Definitio, est & Definitum; si non hoc, neque illa: ut, si sit animal rationale est homo & contra. Fallit in iis quæ conveniunt Definitioni aut Definito *qua talibus*; Non enim sequitur Hominem esse *vocem complexam*, quia Animal rationale est.

Divisionis Maxima.

Membrorum condividentium si unum aut alterum non sit, ponitur reliquum; si sit, tollitur: ut si hoc animal non sit Brutum, est Homo; & contra.

§. 9. E Locis hactenus explicatis Argumenta tam depromere quam urgere Artis opus est: quæ à Testimonio ducuntur, ea non parit Disputantis ars; sed foris ad se

delata arte tractat. Argumenta igitur quæ cæteris è Locis depromuntur, appellari solent *Artificialia*; quæ à Testimonio, *Inartificialia*.

Duplex esse Testimonium, deque Divino, ante diximus: restant quæ *Fidei humanæ*, h. e. infimo Assensus gradui pariendo inserviunt.

Maximæ, de Testimonio humano.

I. Testimonium non valet *Negative*. Neque enim sequitur *non esse* quod *non dicit* Aristoteles. Fallit autem in his *quæ non sunt statuenda sine certa Autoritate*: Rectè enim concluditur non esse capitale, cui nulla Lex pœnam dicit capitalem. Quare in Divino quoque Testimonio Fallit, neque aliquid est Dogma Fidei quod nusquam dicit Scriptura.

II. Sensuum Testimonio fidendum est; ut Nix est alba, quia sic sensus docet. Fallit autem *quot modis Sensus falli possunt*: ut, Sol est major quam nobis propter distantiam videtur. Rectus est baculus qui in aqua curvus apparet.

III. Peritis in sua arte credendum est. Fallit, 1. *Ubi peritior aut æque peritus diversum sentit*; ut si Galeno refragetur Hippocrates. 2. *Ubi Sensus aut Ratio contradicit*; neque enim Nix non alba est quia dixit Anaxagoras; nec Galaxia de natura elementari, etsi dixerit Aristoteles: ibi enim Sensus, hic Ratio contradicit.

IV. Plurimorum Testimonium præstat Testimonio paucorum. Fallit 1. *Ubi pauciores sunt prudentiores*; ut qui Virtutem præferunt Voluptati. 2. *Ubi pauciorum sententia firmioribus sustentatur argumentis*; ut eorum qui Logicam esse Artem, non Scientiam volunt.

V. Antiquorum Testimonium præferendum est Testimonio Recentiorum: in iis scilicet quæ ad *Historiam*, & *Religionem* fortasse; non in *Artibus* quæ ad Ingenium pertinent.

§. 10. PRæter ea quæ retulimus multa sunt Axiomata; multæ Maximæ; Maximarum plures Fallentiæ; quarundam pene infinitæ. Neque enim vel in hoc Capite, vel in Cæteris hujus Libri, rem propositam pertractare instituimus; sed quibusdam quæ ad eam facerent indicatis, cætera studiosorum diligentiæ relinquere. Plura illi nec minus utilia suo Marte conquirent; & in omnibus quos versabunt libris semper aliquid reperient in Penum Logicam conferendum.

LIB. II. CAP. IV. *Solutio Difficilium Syllogiſmorum.*

§. 1. CUjuſcunque Syllogiſmi difficultas ad duas Species revocari poterit; alteram, quæ in *Argumenti Materia*, alteram, quæ in *Forma* conſiſtit: nam qui has duas expedire noverit, is in tertia, quæ ex ambarum complexione oritur, non hærebit.

Si inciderit *Materia* difficilis, unicum huic malo remedium eſt, diſciplinam unde deſumitur argumentum, fideliter didiciſſe: quod ut facias, *Inſtrumenti* operam tibi Logica præſtabit; ſed ulterius nihil confert. Proprium illi munus eſt Syllogiſmi Formam explorare; h. e. Utrum Concluſio ex Præmiſſis conſequatur propter ipſum Colligendi modum: Sed an ponendæ ſint Præmiſſæ (niſi forte ſint pure Logicæ) aliunde diſcendum eſt. Sicubi autem Syllogiſmus qui legitimus non eſt, videatur tamen; aut contra; (quorum utrumque ſæpiſſime, & de cauſis pene infinitis accidit) Formalem ejus Conſequentiam excutere eſt Artis Logicæ.

Qui hoc opus aggreditur, id ſibi negotii datum ſciat, ut Difficilem ſuum Syllogiſmum, primo in Categoricum purum, vel in plures, ſi opus ſit convertat; tum ad Canonem accurate exigat: cujus operis ratio *præcedente Libro pag.22. & ſeqq.* aliquatenus declarata eſt. Summa rei huc redit. Conſideranda eſt primo Concluſio; ejuſque Termini ſolerter diſtinguendi: Prædicatum enim eſt Major Terminus Syllogiſmi; qui proinde Præmiſſam quoque Majorem indicabit; Subjectum pariter Minorem; & in utraque ſeſe offeret Argumentum ſive Terminus Medius: Unde & ſi deſit Præmiſſarum alterutra, facile ſuppleri poterit. Hiſce cognitis, nec Figura Syllogiſmi, nec Modus latebit; qui ſi legitime, nec tamen vere concludere videatur, quærendum annon anceps ſit aliquis trium Terminorum? nam ſi in iis nulla lateat ambiguitas, neceſſario falſa erit altera Præmiſſarum.

Hunc in modum licebit Syllogiſmum quemvis Categoricum purum explorare: qualis ſi non ſit qui proponitur, quam facillime fiet, per ea quæ *priore Libro; extremo Capite tertio, & toto quarto* ſunt oſtenſa. Siquid amplius reſtet, id Exemplis melius quam Præceptis docebitur.

§. 2. Or-

§. 2. ORdiemur autem à facillimis; nempe veterum Sophistarum *Fallaciis*; quarum 13. species enumerat Aristoteles; sex, quæ *multiplicitate dictionis*; septem, quæ aliquo *extra dictionem* vitio laborarent. Et erat aliqua fortasse difficultas in earum aliquibus, juxta veterem disputandi (h. e. interrogandi) morem propositis; sed profecto nemo tam obtusus est, qui non easdem Syllogistice propositas agnoscat statim, & derideat. V. g. Erit fortasse qui rogatus *Quod non amiserit utrum habeat necne?* non intelligat se captum iri, sive simpliciter habere se, sive non habere responderit: at proposito hujusmodi Syllogismo, *Quod non amisisti habes; Cornua non amisisti*; Ergo *habes*: Vel *Quod non amisisti non habes; Oculos non amisisti* Ergo *non habes*; quid reponat nemo non videt.

Fallaciæ *dictionis*, sive *in dictione*, sex sunt.

§. 3. 1. FAllacia *æquivocationis*, sive nata ex voce æquivoca: ut, *Canis est animal; Sirius est canis* Ergo, *Sirius est animal*. In hoc quatuor sunt termini; quorum duo, vox *Canis* æquivoce sumpta.

2. Fallacia *amphiboliæ*; sive nata ex sententia *amphibola*, h. e. ancipitis structuræ; ut *Quod tangitur à Socrate illud sentit*; *Columna tangitur à Socrate*; Ergo *Columna sentit*. Vox *sentit*, non sponte, sed in hac structura est ambigua; cujus vi, in Majori significat *Sentit Socrates*; in Conclusione, *Sentit Socratem*: Quare Syllogismus habet quatuor terminos.

3. 4. Fallacia *Compositionis*, ubi datum in sensu diviso sumitur in sensu composito; ut *Duo & Tria sunt Par & Impar*: *Quinque sunt Duo & Tria*; Ergo *Quinque sunt Par & Impar*. Fallacia *Divisionis*, quando datum in sensu composito sumitur in diviso; ut, *Planetæ sunt septem*: *Sol & Luna sunt Planetæ*; Ergo *Sol & Luna sunt septem*. Utroque modo quatuor sunt termini si aperte loquaris. V. g. Prioris Syllogismi mens est, Duo & Tria *seorsim accepta* sunt Par & Impar. Quinque sunt Duo & Tria *in Unum composita* &c. Posterioris vero, Planetæ *collective sumpti* sunt septem; Sol & Luna sunt Planetæ *distributive sumpti* &c. Unde duplex utrobique Medius.

"Huc referri solent hujusmodi Orationes; *Possibile est album esse nigrum*; *Possibile est sedentem stare*: dubito an "satis recte; quia tanto acumine non est opus. Potest quidem album *fieri* nigrum; & Possibile est *sedenti* stare; at

"si

"si hæc velles, incongrue locutus es. Utraque igitur Oratio est simpliciter neganda; vel ut aperte falsa si sit congrua, "vel si non sit congrua, quia non est Propositio.

5. Fallacia *Accentus* seu *Prosodiæ* potius, quando pro eodem sumuntur quæ vel Litera, vel Spiritu, vel Tempore, vel Accentu sunt diversa: ut, Est *servus* Ergo est *cervus*; Est *ara* Ergo est *hara*. Est *malum* (an apple) Ergo malum (an evil.) Venatur *lèpores* Ergo & Lepóres; quibus qui falli potest, debet.

6. Fallacia *Figuræ dictionis* quando propter dictiones similes, quod de uno datur de altero arripitur; idque vel *Grammatice*, ut *Musa* est, Fœminini generis, Ergo & *Poëta*: vel *Logice* ut *Docere est agere*, Ergo & *Videre*. Hæc Materia potius quam Forma peccat; & operose solvi non postulat: ponit aliquid aperte falsum; quo negato evertitur.

Fallaciæ *extra dictionem* sunt septem.

§.4. 1. FAllacia *Accidentis*; quando *accidentiarium* aliquod confunditur cum eo quod est *essentiale* seu principaliter intentum: ut, *Quod emisti comedisti*, *Crudum emisti*; Ergo *Crudum comedisti*: in quo, *Quod emisti*, & *Quale emisti*, confunduntur; unde quatuor termini.

2. Fallacia *à Dicto secundum Quid ad Dictum Simpliciter*; quando proceditur à voce determinate sumpta, ad eandem absolute positam: ut, *Æthiops est albus dentes*; Ergo *albus*: unde quatuor esse Terminos necesse est.

3. Fallacia *Ignorationis Elenchi*. *Elenchus* proprie Syllogismus est Adversarium redarguens; confirmando scil. quod illius sententiæ contradicat. Quare in hanc incidit Fallaciam qui se putat Adversarium redarguere, non servatis *Contradicendi Legibus*, (de quibus vide pag. 59.) Qui in his peccat, docendus est se nescire Quid sit Contradicere.

4. Fallacia *à non-causa pro causa*; sive sit à *non-vera* pro *vera*; sive à *non-tali* pro *tali*: ut *Cometa fulsit*; Ergo *Bellum erit*; Nullo modo; nam si fuerit, aliis de Causis futurum est. *Quod inebriat probibendum est*; *Vinum inebriat*; Nequaquam vero, sed Abusus vini. Hæc Fallacia bene solvitur negando Causam falsam; melius, adducendo germanam.

"Huc refertur ab aliquibus (qua de causa non video) hoc "Sophisma; *Qui magis esurit, plus comedit*; *Qui minus comedit, magis esurit*; Ergo *Qui minus comedit, plus comedit*. "Sed qui hoc, vel hujus simile attulerit (ut innumera afferri

"solent)

"solent) docendus est congrue loqui: Hoc si fecerit dicet in "hoc casu Qui magis esurit plus *comedet*; Qui minus *comêdit*, "magis *esurit*; Ergo Qui minus *comêdit*, plus *comedet*.

5. Fallacia *Consequentis*, quando infertur quod non sequitur; ut, *Animal est*; Ergo, *Est Homo*. Hic memineris, quod si recte ratione uti volumus, Consequentia aut directa, immediata, formalis, aut plane nulla est; peccat enim contra aliquam Dialecticæ regulam; ad quam si provoces, refelletur.

6. Fallacia *Petitionis Principii*, cum ut datum assumitur, quod probatum oportuit. V.g. Cum probatur aliquid vel per seipsum (quæ vocatur *Petitio statim*) ut, *Homo est*, Ergo, *est Homo*: Vel per Synonymum; ut *Ensis est acutus*; Ergo, *Gladius*: Vel per æque ignotum; ut, *Hic est Pater Melchisedek*; Ergo, *Hæc Mater*: Vel per ignotius; ut, *Hoc Quadratum est hujus Trianguli duplum*, Quia *huic Circulo æquale*: Vel per Circulum; resumendo scilicet quod relictum est; ut si diceres, *Ignis est calidus* Ergo *urit*; & post pauca, *Ignis urit* Ergo *est calidus*.

7. Fallacia *plurium interrogationum*, quando plures quæstiones velut una proponuntur; v.g. *Suntne Mel & Fel dulcia? Estne homo animal & lapis?* Evertitur, ad singulas quæstiones distincte respondendo; sicut fecit Menedemus Eretriensis qui rogante eum Alexino *Numquid Patrem verberare desiisset? Nec verberavi* inquit, *nec desii*.

Atque hæ sunt tredecim Sophismatum formulæ Veteribus usitatiores, quæ Tyronibus Logicis in exemplum proponi solent. Poterant esse pauciores; nam videntur aliquæ coïncidere; & præterea tres, *Non-causa pro Causa*, *Petitio Principii*, & *Plures interrogationes*, non sunt Fallaciæ proprie dictæ, h.e. Syllogismi Forma peccantes; sed Vitia male Opponentis. Poterant & plures; sed cum hic numerus Aristoteli satisfecisset, idem omnibus post illum Logicis satisfecit.

§. 5. DIfficilibus Syllogismis ex sententia veterum accensendæ sunt *Inexplicabiles* (ut vocantur) *Rationes*, quas Megarici, Stoici, aliique Eristicam professi, propriis nominibus insignivere, *Crocodilus*, *Mentiens*, *Obvelatus*, &c. quas plerasque collegit *Gassendus* & retulit in *Libro de Origine & Varietate Logicæ*: Nos eodem fere ordine explorabimus quo ab illo sunt propositæ.

1. ACHILLES vocatur Argumentum quo usus est Zeno Eleates, non ut Motum tolleret, quod vulgo sed falso dicitur; sed ut ostenderet Continuum non esse infinite divisibile, quia

hoc

hoc dato Motus tolleretur. Argumentum ſic ſe habet. Sit Achilles quantum voles πόδας ὠκύς, puta decuplo velocior Teſtudine. Quieſcente illo, confecerit Teſtudo partem aliquam (puta decimam) ſpatii percurrendi. Tum procedat Achilles, idemque ſpatium percurrat; progredietur interim Teſtudo per partem ejus decimam h. e. totius ſpatii centeſimam; hanc conficiat Achilles, & percurret interim Teſtudo hujus centeſimæ decimam; & ſic deinceps in infinitum; quo fiet ut Achilles nunquam aſſequatur Teſtudinem.

Ineptum eſt hoc Sophiſma 1. Quia ſolvitur ambulando; quod fecit Diogenes. 2. Quoniam ex ipſa Hypotheſi, Dum Teſtudo quæ præceſſit ſpatio A, conficit $\frac{2}{10}$A, Achilles conficiet 2A; adeoque ſtatim aſſequetur eam, & antecedet. Sed hoc (inquies) in caſu propoſito nunquam fiet; Recte; Ne enim fiat, in ipſo proponendi modo clam inſeritur nova conditio. Nam 3. Argumentum aliis verbis hoc dicit; Si Achillem decuplo velociorem præceſſerit Teſtudo; & *uterque meo pergat arbitratu*; Ego perficiam ne Achilles aſſequatur Teſtudinem: Quare prorſus nunquam aſſequetur. Quæ eſt *Fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.*

2. Diodorus Cronus quod Sophiſmata Stilponis non ſolviſſet, exinde ὄνος appellatus eſt; id cognominis aliunde promeritus, quod ad hunc modum contra Motum diſputaret. *Mobile movetur vel in quo eſt loco, vel in quo non eſt; At neutrum horum;* Ergo *Non omnino.* Unde facete illum luſit Herophilus, qui ut luxatum illi humerum reſtitueret rogatus, *Tuus* (inquit) *humerus vel in quo erat loco exiſtens excidit, vel in quo non erat. Sed neutrum horum;* Ergo *non omnino.* Diodori argumento breviter & perſpicue reſpondet Gaſſendus, Quod movetur moveri *à loco* in quo erat, *per locum* in quo eſt (ſive quem pertranſit) *ad locum* in quo nondum eſt, ſed futurum eſt.

3. RECIPROCUM vocat Argumentum *Gellius*, quod Græce dicitur Ἀντιςρέφον: cui illuſtrando conficta eſt Fabula quæ Græcorum vanitatem olet. Narrant enim inter Protagoram & Enathlum, vel (ut facetiæ locus ſit) inter Coracem & Tiſiam conveniſſe, ut hunc ille Dialecticam doceret; idque hac lege, ut dimidium mercedis ſtatim acciperet; reliquum, cum diſcipulus cauſam viciſſet. Primam exinde litem cum Diſcipulo conteſtatus eſt Magiſter, cum mercedis reliquum lege peteret; Apud Judices vero ſic agebat: *Ego ſi vicero Tiſia, Tu ſolves ex ſententia, ſin minus, ex pacto; utroque*

igitur modo ſolvendum eſt. Reſpondit Tiſias, *Ego nihil ſolvo; Tu ſi viceris, ex pacto; ſin minus, ex ſententia.* Tanto utrinque acumine perculſi boni judices, exclamarunt Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, cauſamque in longiſſimum diem diſtulerunt.

Ineptum erat Coracis Dilemma quia potuit tam bene retorqueri. Nihilominus callide agebat, ſi id Judices vidiſſent. Nam cum mercedem inique peteret, cauſa cadere debebat; Quamprimum autem cecidiſſet, ei merces ex pacto debebatur.

§. 6. 4. MENTIENS qui eſt Græce ψευδόμενος, Chryſippi Syllogiſmus ne ab ipſo quidem ſolutus, præter cæteros inſolubilis habetur. Eum Cicero ſic enuntiat: *Si dicis Te mentiri, & verum dicis, mentiris; Sed dicis Te mentiri, & verum dicis; mentiris igitur.*

Congrue loquere Chryſippe, & intelliges Te vel nihil prorſus, vel nihil dicere difficile. Qui ſe dicit *mentitum*, & verum dicit, *mentitus eſt; Qui mentiturum, mentietur.* Horum utrumque verum eſt, & nemini obſcurum; Sed qui ut verum ſimul dicat & mentiatur dicit unum aliquid, cujus partes ſibi invicem contradicunt, is nec verum, nec falſum, ſed omnino nihil dicit: quando enim ſententiæ pars una evertit alteram, tota nihil prorſus ſignificat, ſed inaniter ſtrepit.

Subtilius diſputare videbantur qui ſic agebant. *Cretenſes eſſe mendaces dicit Epimenides Cretenſis. Mentitur igitur;* Ergo *Illi ſunt veraces;* Ergo *& Ille verum dicit;* Ergo *Illi rurſus ſunt mendaces* &c. Sed profecto nihil ſtultius eſt hoc Argumento, niſi vox *Cretenſes* eos ad unum omnes ſignificet, & Omnis mendax quicquid dicit mentiatur.

Videtur hic *Mentiens* peperiſſe ſubtilem illam Scholaſticorum *de Inſolubilibus* doctrinam. Nam "talia argumenta (in-" quit *Occam*) non poſſunt fieri niſi quando actus humanus "reſpicit iſtum terminum *Falſum*, vel aliquem conſimilem "affirmative; vel hunc terminum *Verum*, vel aliquem con-" ſimilem negative. Eſſe hæc *Sophiſmata*, ante dixerat; nec "vocari *Inſolubilia*, quia nullo modo ſolvi poſſunt, ſed quia "cum difficultate ſolvuntur.

Inſolubilis exemplum ſic proponitur. Incipiat Socrates ſic loqui, *Socrates dicit falſum;* & nihil amplius loquatur: tum interroget aliquis, utrum vera an falſa ſit hæc propoſitio. Reſpondeo, nec veram nec falſam eſſe, ſed nihil ſignificare, niſi aliquid aliud reſpiciat, quod à Socrate ante dictum ſupponitur. Qui enim profert hæc verba *Socrates dicit falſum*, fert judicium de dicto Socratis; quique fert judicium, neceſſario præ-

præſupponit aliquid de quo judicet: Unde cum ſententia præſupponat objectum ſuum, clarum eſt eandem numero propoſitionem, & ſententiam & ejus objectum eſſe non poſſe. Quare & Scholarum ſubtilitas hic nihil proficit; nihilque opus eſt plura dicere de Inſolubilibus.

5. FALLENS Διαλανθάνων, vel ut alii Διαλεληθώς, de Juramento ludit ſicut *Mentiens* de nuda affirmatione. E.g. *Qui jurat ſe falſum jurare & falſum jurat, vere jurat.* Quare eodem fere modo quo *Mentiens* explicatur.

§.7. 6.7. OBVELATUS, alio nomine ELECTRA, eſt *Fallacia à dicto ſecundum Quid, ad dictum Simpliciter.* Nam colligere pertendit, quod & Patrem Filius & Soror Fratrem, h.e. Electra Oreſtem *prorſus* neſciat, ſi eundem *velo obductum* ſe neſcire fateatur.

8.9. ACERVALIS & CALVUS, ſunt ejuſdem Sophiſmatis duo tantum Exempla. V.g. Si rogatus à Sophiſta, neges te *Calvum* fieri amiſſo crine uno, duobus, tribus, & ſic deinceps ad 99, ſed amiſſis centum concedas; vel eodem modo neges 99 grana *Acervum* eſſe, centum autem eſſe fatearis; concludet ille grano unico adjecto Acervum fieri; crine unico amiſſo, Calvitiem. Facile autem reſpondetur, *Unum centeſimum* non eſſe *Unicum*; nam eſt Unum cum nonaginta novem. Vel ſi mavis ſic; Fit Acervus, grano uno, ſed adjecto; adeoque non unico, ſed cum pluribus aliis.

10. CORNUTUS & *Ceratinus*, *Ceratine*, *Ceratis*, & *Ceras* dicitur Sophiſma illud ante memoratum *Quod non amiſiſti habes* &c. Quæ eſt *Petitio Principii*; nam ſupponit Te cornua habuiſſe.

11. Acutus ſibi videbatur Menedemus (Eretrienſis ſcil. quem ἱεραισπκάπαλον appellat Laërtius) quum ad hunc modum nugaretur. *Diverſum, à Diverſo Diverſum eſt; Prodeſſe eſt à Bono Diverſum; Prodeſſe igitur non eſt Bonum.* Quæ eſt Craſſa & Putida *Æquivocatio*; & nihil amplius.

§.8. 12. CROCODILUS à Chryſippo inventus ſic proponitur. *Surripuerat infantem Crocodilus; redditurum ſe, hac lege pollicitus, ut divinet mater, utrum apud ſe reddere an non reddere conſtituerit.* Si dicat mater *Non reddere*; mentietur ſi infantem receperit: Si dicat *reddere*; non reddet quia hoc eſt falſum. Quamobrem Chryſippus nihil eſſe putat difficilius quam reſponſum matri ſuggerere. Nec injuria, ſi lubricum putet divinare; ſed immerito, ſi in hoc (ut videtur) hæreat, Quod ſi puerum Crocodilus non reddere

conſtituerit, quamvis id Mater divinaverit non reddet; quaſi consilium quod primum intenderat Crocodilus, poſtquam indicatum eſt, repudiare non poſſit, & ex pacto non debeat: nam ſi Mater recte divinaverit, recepto puero, non mentitur illa, ſed conſilium mutat Crocodilus.

13. METENS Θερίζων qui vocatur, ita placuit Zenoni Stoico, ut Sophiſtæ à quo eum didicerat duplum pactæ mercedis numeraret. Proponente Ammonio ſic ſe habet. *Si meſſurus es, non fortaſſe metes, fortaſſe non metes, ſed metes omnino;* Pariter *ſi non meſſurus es, non fortaſſe metes, fortaſſe non metes, ſed prorſus non metes.* Atqui *vel metere te, vel non metere, neceſſarium eſt; perit igitur* Fortaſſe, *quod in neutra hypotheſi locum habet.* Fortunatum Sophiſtam! qui mercede dupla hunc fumum vendidit; *Vel hoc, vel illud evenire eſt neceſſe;* Quare *hoc & non illud neceſſario eventurum eſt.* Nihil amplius dicit qui ſic dixerit, *Ut vel metas vel non metas eſt neceſſe;* Ergo *Vel neceſſario metes vel neceſſario non metes.* Breviter, hæc *Fallacia Diviſionis* eſt; nam in Antecedente, Modus *Neceſſario* non tribuitur niſi toti Disjunctivæ; ſed in Conſequente dicitur de ejuſdem membris ſeorſim acceptis.

14. IGNAVA RATIO vel Ἀργὸς λόγος appellatur, qui ſi valeat nihil eſt omnino quod agamus in vita. V.g. *Si Fatum eſt ægroto convaleſcere, ſive medicum adhibuerit ſive non adhibuerit, convaleſcet:* Pariter *ſi illi Fatum eſt non convaleſcere ſive medicum adhibuerit ſive non adhibuerit, non convaleſcet: & alterutrum Fatum eſt; medicum ergo adhibere nihil attinet.* Lepide reſpondet Chryſippus poſſe eſſe *Confatalia* adhibere medicum & convaleſcere: Quemadmodum & Zeno, quando ſervum furem verberabat, *Furari ſibi Fatum eſſe* dicenti, & *Vapulare* reſpondit. Sed commodius dici videtur, Si ſit Fatum, hoc valere argumentum; idque vel ſolum ſufficere ne Fatum eſſe concedamus.

§. 9. PLura ſunt apud Autores Inexplicabilium Rationum nomina; quorum exempla Gaſſendus quia nuſquam inveniſſet, ipſe reperit. Verum ea relinquimus ſtudioſis; quibus etiam conſulto eſt relictum, ut quæ ſunt hactenus explicata, illi explicent in Syllogiſmos converſa. Exempla Gaſſendi ne deſiderent qui libro carent, non pigebit exſcribere.

DOMINANS Κυριεύων. Themiſtoclis filius nec Græcis imperat, nec de imperando cogitat: Verum imperat Matri, quæ imperat Themiſtocli, qui Græcis imperat; *Dominatur* itaque Græcis, *& non-dominatur.*

CON-

CONFICIENS Περαίνων. Multum itineris *conficit*, *& non conficit* Canis, qui in rota gradiens totum diem, ex eodem tamen loco non recedit.

SUPERPOSITUS vel SUPERLATIVUS Υπερθετικός, Soriti forte affinis; Ut si roges quota sit palea, quæ si mulo *superimponatur* ille oneri succumbat?

NULLUS Οὔτις. Homo in Communi nec est hic, nec ille, nec alius homo singularis, Ergo *Nullus*. Vel ut tritum Sophisma. *Quod Ego sum, Tu non es; Ego sum homo;* Ergo *Tu non es.* Vel denique ut Chrysippus. *Qui est Megaris, non est Athenis; Homo est Megaris;* Ergo *Homo non est Athenis.*

Subjicit Gassendus ex Laërtio, has Chrysippi Rogatiunculas. 1. Qui non initiatis indicat mysteria, impie agit. Sed hoc facit Hierophantes; *Ergo* Impie agit. 2. Est quoddam caput; Id Tu non habes; *Ergo* Caput non habes. 3. Id quod loqueris ex ore tuo egreditur: Currum loqueris; *Ergo* Currus ex ore tuo egreditur.

§. 10. NOn temperaturos sibi Juvenes satis scio quin dissiliant risu, ubi hæc tam futilia intellexerint à gravissimis Philosophis serio fuisse proposita; & Veteribus adeo difficilia, ut Philetas Coüs præceptor Ptolemæi Philadelphi solius *Mentientis* explicandi studio confectus interierit. Quamvis autem Aristotelis beneficio, videantur ista ut sunt levia, in iis tamen prompte atque artificiose solvendis non inutiliter sese Juvenes exercebunt: nam in gravissimis Disputationibus, hæc eadem recocta Novæ præsertim Philosophiæ cultores sæpissime reponunt.

V.g. *Gassendus* Vacuum quod appellat *disseminatum* eodem fere Sophismate demonstrare pertendit, quo olim Zeno *contra motum* utebatur: Suamque *Hobbius* de *Necessitate* sententiam iisdem propugnat Fallaciis quibus *Fatum* Stoici: aliaque plurima hujus generis, quæ sunt Nobis prætereunda, studiosis inter legendum occurrent.

Fefellit Virum satis alias perspicacem hæc sequela, quæ in Ambiguis distinguendis versatum minime (opinor) fefellisset; *Possum datæ peripheriæ trientem exhibere; Possum igitur datam peripheriam trisecare:* cujus falsitatem ipsa Praxis redarguit; neque enim trientem exhibuit, sed alterius circuli peripheriam trienti parem: h.e. non *trientem* ipsum, sed *trientis valorem:* Paria fecisset qui oblatum sibi solidum trisecturus, ne attrectato quidem solido porrexisset drachmam.

§. 11. Vo-

§. 11. VOlentem hic desinere pungit scrupulus, qui nonnullos hodie Mathematicos male habet. Nam in Demonstrationibus quibusdam, Conclusionem ex sui Contradictoria, per legitimas necessariasque consequentias directe inferri volunt. Quod si ita sit, miror à Veteribus, præsertim Scepticis non fuisse animadversum; quippe hoc dato tota ruat Logica necesse est.

Dicunt tamen Theodosium demonstrasse quod *si Maris superficies non est Sphærica, est Sphærica.* Verum ille nihil tale demonstravit; sed tantum Maris superficiem *si nondum esset, fore Sphæricam*: siquid enim emineat (inquit) illud statim, ex natura humidi, subsidet: Unde si Maris superficies sit (ut non est) inæqualis, *fiet* perfecte Sphærica.

Videamus aliud Exemplum. Sunto numeri duo inæquales, & inter se primi; Dico quod eorum differentia ad minorem prima est. *Esto enim numerus aliquis qui metitur minorem*, idemque metiatur differentiam: Ergo metitur eorum summam; Ergo metitur majorem, huic summæ parem; *Ergo non metitur minorem.*

Possum hoc loco dicere quod mendose colligitur; siquis enim numerus minorem metiatur ex supposito, & majorem ex demonstrato; colligendum erat *datos esse inter se compositos, quod est contra Hypothesin.* Verum ne pluribus exemplis sim molestus, malo generale responsum. Dico igitur, Quod nulla hujusmodi Demonstratio supponit solam suæ Conclusionis Contradictoriam; sed quælibet, cum Contradictoria ponit aliquid quod eam evertit; & evertere, demonstrando ostendit. Quare Conclusionem non infert ex ejus Contradictoria; sed ex Contradictoria cum Contradictoriæ eversiva: quod si faciat nihil mirum. Nam *Si Socrates* v. g. *est homo, & irrationalis*, tum *Si est homo, non est homo*: Et *Si Socrates est mortuus, & scit se esse mortuum*, tum *Si est mortuus non est mortuus*: Et Universaliter, *Si & hæc est vera & quæ hanc evertit*; tum *Si hæc est vera, non est vera*: quibus omnibus inest una quæ est prorsus nulla difficultas. Ubi enim Hypothesis evertit suppositionem, quidni ex Hypothesi sequatur, quod Suppositioni contradicit?

§. 12. SYllogismis difficilibus non adnumero vel *Figuras duas* à *Gassendo* nuper introductas; vel *Exempla* quæ in *Arte Cogitandi* appellantur *intricatiora.* Sed hæc nunc libet inspicere; de illis dicam aliquid in loco.

Principio nihil habent difficultatis Syllogismi, ubi ex duobus bonis

bonis ille unum facit non bonum, substituendo pro præmissa altera propositionem quæ illam probat. Exempla legitime proposita sic se habent.

P. 163. *Qui adorabant Solem, adorabant rem insensatam* (Ille, Sol est res insensata;) *Persæ adorabant Solem*; Ergo *Persæ adorabant rem insensatam.*

P. 164. *Quod jubet Reges honorari, jubet Ludovicum* 14 *honorari* (Ille, sed secundo loco, Ludovicus 14 est Rex;) *Lex divina jubet Reges honorari*; Ergo *Lex divina jubet Ludovicum* 14 *honorari.*

P. 173. *Laudare peccantes non est officium Christiani*; *Laudare duello decernentes est Laudare peccantes*; Ergo *Laudare duello decernentes non est officium Christiani.* Ille perversissime hoc modo. *Officium Christiani est non laudare peccantes*; *Qui duello decernunt peccant*; Ergo *Officium Christiani est non laudare duello decernentes.*

P. 175. Exemp. 4. *Christianismus non obligat famulos parere dominis suis contra legem divinam. Parere dominis suis in sollicitatione mulierum est parere dominis suis contra legem divinam* (Ille, Sollicitatio mulierum est contra legem divinam;) Ergo *Christianismus non obligat famulos parere dominis suis in sollicitatione mulierum.*

Hæc inquam omnia prout ab illo proponuntur, Argumenta sunt, & quidem bona; Sed non sunt magis Syllogismi quam est elegantissimum illud Ciceronis, *Paradoxo secundo*; Nec vero, cujus virtus moresque laudandi sunt, ejus non laudanda vita est: neque porro fugienda vita, quæ laudanda est: esset autem fugienda si esset misera.

P. 167. Exemp. 4. Grammaticam docendus est qui Minorem nescit affirmare in hoc Syllogismo, *Omnes illi quibus eripi non possunt ea quæ amant extra inimicorum insidias positi sunt*; *Sed illis qui solum Deum amant, eripi non potest quod amant*; (h. e. Deum solum amantes sunt ex iis quibus eripi nequit quod amant) Ergo *Omnes illi qui solum Deum amant positi sunt extra inimicorum insidias.*

P. 167. Exemp. 5. *Soli Dei amici sunt beati*; *Sunt aliqui Divites qui non sunt Dei amici*; Ergo *Sunt aliqui divites qui non sunt beati.* Vide obsecro quam laboret in hoc explicando, quem ad primam tandem reducit. In Scholis poterat didicisse, *Exclusivam subjecti* simplicissime *exponi* per Affirmativam Universalem de transpositis præmissis; quod & sensus ipse communis satis docet. Propositus itaque Syllogismus

gismus cum Majore exponibili, facile sic effertur in *Baroko*; *Omnis beatus est Dei amicus*: *Aliquis Dives non est Dei amicus*: Ergo *Aliquis dives non est beatus*.

P. 174. Operose item solvit hunc facilem Syllogismum. *Evangelium spondet salutem Christianis*: *Quidam impii sunt Christiani*; Ergo *Evangelium spondet salutem quibusdam impiis*. Parumne clarum est, Majoris (nempe Indefinitæ) quantitatem ex materia judicandam? adeoq; Medium non distribui?

P. 175. Exemp. 3. *Lex divina jubet obedire Magistratui seculari*: *Episcopus non est Magistratus secularis*; Ergo *Lex divina non jubet obedire Episcopo*. Vel si libet sic, ne quinque terminis laboret; *Magistratus secularis, est aliquis cui tenemur obedire ex mandato Dei*: *Episcopus non est Magistratus secularis*; Ergo *Episcopus non est aliquis cui tenemur obedire ex mandato Dei*. At minor inquies hoc modo negabit in prima; quod ferri nequit, quia Major procedet illicite, à non distributo in præmissis ad distributum in Conclusione. Recte narras; id enim Argumenti vitium est quocunque tandem modo proponatur.

P. 176. Exemp. 5. & 6. Sunt tritissima duo Sophismata quæ in omnibus fere Logicis per vulgares regulas solvuntur. De Exemplis cæteris supra diximus *Lib*. 1. *pag*. 24. & 25. Hujus itaque Capitis hic finis esto.

LIB. II. CAP. V. *Quæstionum Logicarum determinatio.*

§. 1. QUæstio Logica est, in qua de veritate doctrinæ Logicæ *quæritur*. Omnis Veritas suos habet limites; nihil enim tam *verum* est, quin idem, si perperam intellexeris, sit *falsum*. Nequa igitur ex quæstione laxe nimis accepta fraus fiat intra certos *terminos* claudenda est, citra quos sit vera, ultra eosdem fortasse falsa. Quod cum fit, uti hic in perpaucis exempli gratia factum, *determinari* dicitur Quæstio.

1. *Logica est Ars.*

Non *manualis*, qualis illiberalium; sed *mentalis*, qualis eruditorum: Non versatur circa materiam *externam*, (puta lignum, ferrum) sed *internam*, (nempe secundas intentiones) nec opus aliquod *extra* edit, ut sutor calceum, sed operationes *intra* artificem terminat. *Scientia* cum dicitur, sumitur ea

Vox

Vox non *stricte*, pro una habituum Specie cæteris contradistincta, sed *large* pro omni certa cognitione; habet quidem Logica, quod Scientiæ est, conclusiones *certas*, sed non, ut illa, de *Subjecto necessario*: veritates à suis causis demonstrat, sed ultra earundem contemplationem pergit ad Praxin.

2. *Voces significant conceptus.*

§. 2. SUnt signa conceptuum non *suppositiva*, neque enim pro iis, sed pro rebus substituuntur; sed *manifestativa*, illos enim indicant. Sunt signa non *naturalia*, neque enim ex naturæ vi; sed *arbitraria*, namque ex instituto hominum significant. Quod voces proferamus, est à *Natura*; quod per eas conceptus indicemus, est à *pacto*. *Primario*, & *immediate* significant conceptus loquentis; *secundario*, & *mediate* res conceptas. Intellige tamen Voces non *ambiguas* quæ audienti aliud repræsentare possunt, quam quod concipit, qui loquitur; non *mendaces*, quæ aliud indicant quam quod revera concipit; sed *certas*, quæ aliquid determinate significant, & *moraliter veras*, quæ cum mente loquentis consentiunt.

3. *Datur Universale, quod est unum aptum prædicari de multis.*

§. 3. DAtur Universale, non *ante singularia revera existens*, quod Ideam vocant Platonicam; sed *in singularibus existens*, ut humana Natura in Socrate & Platone. Quicquid existit *per se*, & *immediate*, est singulare: existit vero & Universale *per aliud* & *mediate*. Datur in rerum Natura *Universale materiale*, Natura scilicet communis in singularibus sparsa: Datur in nostro intellectu *Universale formale*, eadem Natura à singularibus abstracta. Universale est unum non *numero*, ut Socrates, sed *nomine* & *definitione*, ut homo: non *entitate*, sunt enim Socrates & Plato duo Entia; sed *conformitate*, sunt enim similia. Universale materiale est *actu commune*, *potentia Unum*, quia Natura in multis actu sparsa potest ab intellectu abstrahi, & considerari ut una; Universale formale est *actu unum*, *potentia commune*, quia Natura à multis abstracta, & eatenus una, iisdem denuo potest tribui, tanquam omnibus communis. Universale prædicatur de multis non *æquivoce*, secundum nomen tantum, sed *univoce*, secundum nomen & rem; non in *abstracto*, sed in *concreto*, neque enim vere dixeris Socratem esse *humanitatem*, sed *hominem*.

4. *Genus prædicatur de Specie differentibus in quid.*

§. 4. INtellige quæstionem non de *vocibus*, sed de *rebus*; non in actu *signato*, sed in actu *exercito*; neque enim signum de signo dicitur, h. e. Vox de voce, ut *Species est genus*; sed res in qua exprimenda *exercetur* Vox una, de re, quam exprimit altera; sic animal (quod est genus) prædicatur de homine (qui est Species.) Non de *notione Logica*, sed *natura Physica*; non *formaliter*, sed *materialiter*; non de intentionibus *secundis*, sed *primis*; quæ omnes distinctiunculæ tantundem valent, nihilque aliud indicant, quam quod natura generica affirmetur de specifica. Genus prædicatur in quid non *complete*, sed *incomplete*, neque enim totam Speciei naturam exprimit, sed partem; non *distincte*, sed *confuse*, neque enim partem discretivam, sed communem.

5. *Totum genus conservatur in una Specie.*

§. 5. GEneris Natura *realis* vel *Physica* conservatur in una Specie, si enim nullum existeret animal præter hominem, integra foret animalis ratio; Natura *intentionalis* vel *notio Logica* non conservatur, si enim nullum aliud nec esset, nec fieri posset, non de pluribus aptum foret prædicari animal. Totum *genus* est in una, nihil enim continetur in animalis natura, quod non in humana; totum *generis* non est; quia non ita in homine sit animalis natura, ut non etiam sit in bruto.

6. *Proprium non potest separari.*

§. 6. NOn *re*, *vere*, & *Physice*, sed *ratione*, *mente*, & *Logice*; neque enim triangulum potest esse, cujus anguli non sint æquales duobus rectis, potest tamen concipi non concepta hac angulorum ratione. Non potest separari abstractione *negativa*, *composita*, & per *secundam mentis operationem*; qua sc. proprium de Subjecto negetur, potest separari abstractione *præcisiva*, *simplici*, & per *primam mentis operationem*, qua sc. cogitato uno, non simul cogitatur alterum.

7. *Accidens adest & abest sine Subjecti interitu.*

§. 7. NOn *Prædicamentale*, quale est Proprium, sed *Prædicabile*, quale est Accidens commune. Non *simul* adest abestque, sed *alternatim*: Non *actu* adest semper, abestve, sed quod adest, *poterat* abesse, & vicissim. Absente nigredine, non amplius est Æthiops, manet tamen homo,

cui

cui accidit nigredo, quæ Æthiopi, qua tali, eſt de eſſentia. Mors & combuſtio, quæ Subjectis ſuis videntur afferre interitum, non ſunt accidentia *realia*, ſed *privativa*; vel eorum Subjecta non ſunt homo, qui moritur, & domus, quæ ardet; ſed materia, quæ non interit.

8. *Accidens non migrat de Subjecto in Subjectum.*

§. 8. IDem *ſpecie* migrat, non idem *numero*: idem eſt pallii, qui tacti parietis color, ſc. albus, ſed non una eademque utriuſque albedo. Migrat de Subjecto *denominationis*, non *inhæſionis*; eadem cicatrix quæ nuper in vivo homine fuit, nunc eſt in cadavere, eidem tamen materiæ pertinaciter adhæret. Non migrat *ſine* Subjecto ſuo in aliud, *cum* eo poteſt commigrare; tranſit nigredo à calamo in manum, ſed pariter cum atramento.

9. *Unius rei unica eſt definitio.*

§. 9. UNica *eſſentialis*, quia una eſſentia; plures *accidentales*, quia varia, quæ *deſcribi* poſſint, accidentia. Unius rei *uno* modo conſideratæ eſt una; ejuſdem aliter atque aliter ſpectatæ alia atque alia. Una eſt *ſenſu*, *verbis* plures. Una unius generis, plurium plures, *realis* ſc. & *nominalis*. Una in una Scientia, in diverſis diverſæ; aliter hominem definit Phyſicus, aliter Metaphyſicus.

10. *Quod prædicatur de prædicato, prædicatur de Subjecto.*

§. 10. INtellige prædicationem non *notionalem*, ſed *realem*; genus prædicatur de animali, ſed non de homine: Non *complexam*, ſed *ſimplicem*; rationale & irrationale prædicatur de animali, non de homine. Non *tropicam* ſed *propriam*, quadrupes dicitur de vulpe, non tamen de Herode qui figurate eſt vulpes: Non *particularem*, ſed *univerſalem*, doctus de homine dicitur, ſed non de Bavio, quia non de omni.

11. *Subſtantia eſt prior Accidente.*

§. 11. 1°. N*Atura*; Accidens enim à Subſtantia pendet, non autem hæc ab illo. 2°. *Dignitate*. Eſt enim Subſtantia Ens, Accidens vero ipſius appendicula: Eſt igitur *ſimpliciter* dignior, poteſt tamen Accidens *ſecundum quid* dignius eſſe, quia Subſtantiam perficiat. 3°. *Cognitione*, *diſtincta* ſcilicet & *perfecta*, ea enim non perſpecta

minus accurate cognoſcitur Accidens, non *confuſa & rudiore*, ita enim Accidentia, quæ in ſenſus incurrunt, prius cognoſcimus. 4to. *Tempore*, quod intelligendum de *generibus ſingulorum*, nulla enim eſt Subſtantia quæ non ſuo accidente ſit prior; non de *ſingulis generum*, unius enim Subſtantiæ accidens alia Subſtantia eſt prius.

12. *Quantitatis nulla eſt Actio.*

§. 12. QUantitas *per ſe*, & *primario* nihil agit, ſed materiæ quam ſequitur, inertiam imitatur: per *accidens*, & *ſecundario* agit, quia qualitas in majori mole eſt operoſior. Non convenit illi actio *realis*, & *tranſmutativa*, non enim ut calor calorem, ſic quantitas quantitatem producit; convenit *ſpiritalis*, agit enim in ſenſus, dum ſpeciem ſui in ſenſorio producit. Intelligenda hæc de Quantitate *molis*, ſive *extenſiva*, h. e. de magnitudine, non de Quantitate *virtutis* ſive *intenſiva*, quæ alia voce eſt Qualitas: de *Mathematica*, h. e. pura extenſione, non de *Phyſica*, quæ cum motu aliiſque qualitatibus activis ſemper eſt conjuncta.

13. *Relata ſunt ſimul Natura.*

§. 13. NOn *tranſcendentalia*, & *ſecundum dici*, quæ relata dicuntur, cum revera non ſint, ut Scientia & ſcibile; ſed *Prædicamentalia*, & *ſecundum eſſe*, quæ ponuntur in hoc prædicamento, quia proprie ſint relata, ut Pater & Filius. Hujuſmodi relata non ſunt ſimul quoad eſſe *abſolutum*, ſed *reſpectivum*: prior eſt Alexandro Philippus, ſed non prius Philippus erat Pater, quam Alexander filius: mortuo Philippo ſuperſtes fuit Alexander, ſed ubi deſiit Pater, deſiit & Filius.

14. *Actio eſt in Patiente.*

§. 14. ESt in *Agente originaliter*, tanquam in principio, à quo fluit; eſt in Patiente *ſubjective*, tanquam in Subjecto, in quo terminatur. Actio denominat Agens *extrinſece*, tanquam id *à* quo eſt; non *intrinſece*, tanquam id, *in* quo eſt. Actio *tranſiens* eſt in patiente, in quo recipitur: Actio *immanens* manet in *agente*; idem vero eſt & *patiens*. Ejuſdem eſt actio, cujus potentia, nempe agentis, h. e. ab eodem *procedit*, non vero eidem neceſſario *inhæret*.

15. *Con-*

15. *Contraria ſub eodem genere maxime diſtant.*

§. 15. NOn maxime diſtant *omnium*; magis enim diſtant, quæ nec idem genus ſummum habent, magis Contradictoria; ſed maxime eorum, quæ in genere conveniunt. Diſtantia hæc non eſt *localis*, neque enim capillus *niger* à cuti *alba* loco diſtat; ſed *naturalis*, eſt enim repugnans nigredinis & albedinis Natura. Diſtantia hæc non eſt maxima *poſitive*, quæ omni diſtantia eſt major; ſed *negative*, quæ nulla eſt minor, ſive qua nulla major. Non magis à frigore diſtat calor, quam à nigro colore albus, & tamen nihil magis ab altero diſtat, quam à calore frigus. Virtus à vitio maxime diſtat in genere *morum*; vitium ab extremo ſuo in natura *rerum*. Contrarios inter ſe avarum & prodigum dicet rerum indagator, quia ille minus, hic plus erogat: contrarios avarum & liberalem dicet morum præceptor, quia illum inter malos, hunc inter bonos numerat. Quorum autem maxima eſt contrarietas ſive *Phyſica*, ſive *Moralis*, eorum maxima erit in eodem genere diſtantia.

16. *Contraria ſe mutuo expellunt.*

§. 16. NOn ex *diverſis* Subjecti partibus, poteſt enim frigente pede manus caleſcere; ſed ex *eadem*, neque enim extremus digitus calet ſimul frigetque. Non ſi in *gradibus remiſſis* fuerint, bene enim in aqua tepida conveniunt calor modicus, & frigus temperatum; ſed ſi in *intenſis*, neque enim ſimul fervet aqua & frigeſcit. Non ratione *eſſentiæ*, neque enim calor totum frigus ſtatim perimit; ſed *intenſionis*, ejus enim vires minuit. Non *effective*, neque enim calor ſed ignis tanquam cauſa *efficiens*] frigus aqua expellit; ſed *formaliter*, quia caloris & frigoris *formæ* nequeant una conſiſtere. Contraria non poſſunt à ſe invicem pati, ut expellatur alterum, per *receptionem*, ita ut calor frigus in ſe recipiat; poſſunt pati per *corruptionem*, ita ut adveniente frigore, calor intereat.

17. *Syllogiſmus conſtat tribus terminis.*

§. 17. VOce & *explicite*, poſſunt plures paucioreſve eſſe; *ſenſu* & *implicite* ſunt tres. Sunt in ſingulis Propoſitionibus duo, ideoque in tribus ſex; ſed tres tantum *diverſi*, qui ſinguli bis ponuntur. In Syllogiſmo complexo, ſive Sorite, aut *Hypothetico*, ſunt plures: in ſimplici, puro

&

& Categorico tantum tres. Termini *large* ſumpti tot ſunt, quot *Voces*: termini ſtricte ſumpti, tot quot *Voces Categorematicæ*.

18. *Ex falſis non ſequitur verum.*

§. 18. FAlſis præmiſſis vera concluſio poteſt *connecti*, non vero ab iis *inferri*. Poteſt *illas* ſequi, h. e. poſt illas poni; non vero *ex iis* ſequi, i. e. inde concludi. Vera eſt veritate *conſequentis*, non veritate *conſequentiæ*: Præmiſſarum falſitas non impedit veritatem concluſionis, ſed nec efficit; vera eſt, quæ falſas ſequitur, ſed non vere ſequitur, quia non neceſſario. Ἔτι μηδενὸς ὄντος ἀληθοῦς τῶν ἐν τῷ συλλογισμῷ (h. e. neutra præmiſſa vera) τὸ συμπέρασμα ὁμοίως εἶναι ἀληθὲς, οὐ μὴν ἐξ ἀνάγκης. *Anal.* pr. l. 2. c. 4. t. 15. Ubi & cauſa hujus redditur, Præmiſſas nempe Antecedentis rationem habere, Concluſionem Conſequentis: Sublato vero Antecedente, ſeu negata Præmiſſarum veritate, non tollitur Conſequens; (ſeu non negatur Concluſionis veritas) ſed nec ponitur. Concluſiones quas Ariſtoteles ibidem in ſingulis figuris à falſis præmiſſis deducit ſunt veræ *materialiter* non *formaliter*, ſive, ut ipſe præfatur, ἐκ ψευδῶν ἔστιν ἀληθὲς συλλογίσασθαι, πλὴν οὐ διότι, ἀλλ' ὅτι· h. e. concludere licet ex falſis *quod* verum eſt, ſed non verum eſt, *quia* inde concludatur. Ex falſis poteſt inferri verum per *deductionem ad impoſſibile*, qua probatur noſtræ aſſertionis contradictoria falſa, ideoque noſtra vera; non *oſtenſive*, ita ut ex iis noſtræ veritas *directe* oſtendatur. Ex falſis poſitis poteſt verum per artem elici, ut in Arithmetica regula falſi; ex falſis præmiſſis in Syllogiſmo poſitis non poteſt vera concluſio legitime deduci per regulas Dialecticæ. In Geometricis probationibus ſumitur aliquando Propoſitionis demonſtrandæ contradictoria, ut ex ex ea, una cum aliis veritatibus, ipſa Propoſitio demonſtretur vera: Animadvertendum vero Concluſionis vim non omnino à falſa deduci, ſed ex aſſumptarum veritate aliunde probata, quæ cum falſæ iſti vel aperte vel virtualiter contradicant, ſimul & ipſius deſtructivam vim perimunt, & concluſionem ipſam probant.

19. *Singularium non eſt demonſtratio.*

§. 19. SIngularium *per ſe* & *primario* non eſt Demonſtratio; *per accidens* & *ſecundario*, quatenus includuntur in Univerſali, eſt. Quæ ſingulari ſunt *communia* cum omnibus ſui ordinis, poſſunt de eo demonſtrari; quæ illi conveniunt

veniunt, *qua tali*, non possunt. De singularibus *caducis*, qualia sunt sublunaria, nulla est Scientia; de *sempiterno*, qualis est Deus, est. Singularium est demonstratio *imperfecta*, rei sc. cognitio per suam causam; non vero *potissima*, qua demonstratur proprietatem convenire Subjecto, quatenus ipsi. Petrus demonstratur esse risibilis, quia rationalis; hæc vero Demonstratio non est potissima, quia risibilitas non convenit Petro, qua Petro, sed qua homini. De naturis *in uno solo Individuo existentibus* (quales sunt Sol & Luna) datur Scientia, non qua singularibus, sed quatenus possint in individuis multiplicari, h. e. quatenus sint Universales.

Cum disputationibus præmitti soleant Suppositio *&* Oppositio *non abs re visum est utriusque exemplar subjicere.*

An sensibus sit fidendum? Affr.

EAm animus cum corpore iniit societatem, ut quocunque ingenii acumine, quacunque idearum varietate instructus ultra familiares rerum imagines contendat, suam intelligendi cogitandique solertiam à diuturna sensuum consuetudine derivatam aperte satis fateatur: in eorum obstinate hæret vestigiis, ab iis tanquam à speculatoribus in alto collocatis continuo admonetur, eos rerum certissimos interpretes atque nuntios consulit. Videt nimirum quam vigiles & acuti undique agant excubias, videt quam fideliter, ubi certi quicquam assequi nequeunt, id semper caveant nequid falsi adducant. Nonne enim sive objectum suum longo nimis intervallo dissitum, sive crassioris medii interventu obscurius perceperint, timide atque hæsitanter mentis aciem provocant? nonne suo quodam naturali judicio de se ipsi dubitant? siquid sit jam in quo erratur, non id organi vitium, sed animi est censendum. Cur enim tam dubia probabilitate captus est? quis ei imposuit, quis coegit falsum putare, quis jussit decipi? Quare videntur omnino operam ludere, qui id contra sensuum testimonia prolixe urgent, nempe plurima esse quæ eorum imbecillitas nullo modo attingit: non enim quærimus an omnia iis percepta sint, sed an illa, quæ profitemur eos sentire, recte sentiant. Et quid jam si oculos nostros fugiant tenuissimæ quædam particulæ? quorsum illa usque adeo jactata Galilæi perspicilla? O studiosos errorum artifices! qui tam diligenter se exercent, ut & sensus suos fallant, & ab ipsis fallantur, ideoque oculis suis renuntiant quoniam

niam pro muſca non exhibeant Elephantem. Unde autem jam demum intelligunt ſe fuiſſe deceptos? nimirum ex oculis; iis ergo vel imprudentes credunt, & incaute admodum arguunt oculatiores hi Philoſophi, dum ſenſuum ipſorum miniſterio contra ſenſus utuntur, & eorum nobis obtrudunt teſtimonia, quorum negant authoritatem. Quantillum eſt enim quod ſenſibus concedunt? fatentur quidem ad vitæ uſum non penitus ineptos, ſed omnem iis ſcientiæ veritatiſque acquirendæ facultatem eripiunt; ſi de arce ruiturum viderint ſaxum, cauti ſatis reſilient, ſed idem grave eſſe conſtanter negabunt; ſi inhorruerit hyems, igni ſe admovebunt, minime vero agnoſcent calidum. Quod ſi adeo ab omni ſenſus authoritate abhorrendum ſit, quomodo de rebus quæ ab oculos ponuntur certa quædam facimus judicia, de iis autem quæ remotiora ſunt vix quicquam cogitando aſſequimur? de corporibus & figuris multa nobis evidentiſſime conſtant, & pauci eouſque Sceptici ſunt, ut hæreant ſecum nunquid Sphæræ interſit & triangulo: ubi autem de ſpirituum natura agitur, quibus verſamur in tenebris, quo negationum cumulo obruimur, quam repente evadimus Academici & non tam quid ſint, quam quid non ſint dicimus? fruſtra itaque ſenſibus obluctatur ratio, neceſſe eſt eos ſtudiorum ſocios, imo duces adhibere: fruſtra contra nos urgetur, vel organi defectus, vel medii male diſpoſiti, & remotioris objecti impedimenta; quaſi ideo rationi ipſi reclamandum eſſet, quod quidam ſint inſani; ideo omnis animi ſcientia in dubium eſſet vocanda, quod quædam obſcurius intelligat: eorum paucis atque mediocribus ignoſcendum eſt erroribus quorum beneficio tam præclara debemus veritatis indicia, & nos tum demum intellectui ſoli totos permittemus, cum & Citharædum erudierit ſurdum, & cæcum Geometram.

Senſibus non eſt fidendum.

TAm fæliciter ergo ceſſit, Epicure, tua de voluptate ſententia, ut veritatem etiam ſenſu metiendam ſtatuas? ſed faves tibi, prout ſoles, & tuo conſulis otio: longum eſt & laborioſum latentis naturæ cauſas aperire; tædet ſeveris omnia rationum momentis expendere, quæ facilius veloci oculo percurras, & primo aſſequaris intuitu: quanquam ſuſpicari poſſit malevolus aliquis eum, qui oculis adeo eſt acutis, nihil interim ulterius ſapere, evanidas tantum umbras captare, & patienter decipi. Neque video ſane cur tuam hanc perſpicuitatem

tatem eousque mordicus teneas; cum fluctuet sæpe animus & multa se ingenue fateatur nescire, unde hæc sensuum tuorum impudentia? iisdem, opinor, ac tu sensibus utimur, intuemur solem, si ita vis, bipedalem, sed caute sustinemus assensum & monenti paullo auscultamus rationi; vidit enim Ajax Agamemnona, sed occidit arietem, quique Junonem ante oculos habuit, amplexus est nubem. Cave ne ad te hæc pertineant; quam sæpe enim falsum, sæpe etiam nihil est quod sentis? quoties tibi, dum altum ubique est silentium, tinniunt aures? quoties noctem liberius agenti geminatur lucerna? & quid illi, quos tam fideles jactas, quibus vitam committis tuendam, in arce positi speculatores? dum tuta sunt omnia, dum inter tenebras securus versaris, mille discriminum imagines adducunt, & vano animum terrore excitant; at siquod revera intenditur periculum, se plerumque excusatos habent, & vel alio avocati, vel ab officio temporis brevitate exclusi sunt. Quousque somnolentis hisce nuntiis nostra decipietur credulitas? aut quando iis constanter fidendum esse statuemus? à rebus si longius sint disjuncti, variam incertamque speciem tenent, & similitudine falluntur; si propius accedant, perstringuntur, hebescunt, stupent, nec minus in aperta luce quam in tenebris caligant. Sed quereris nos male omnia disposuisse, & ægre fers sententiæ tuæ somniantium & furiosorum objici judicia; multa tibi postulas concedenda; concedimus; nulla non indulgemus effugia; contrahimus intervalla; sensus valentes sunt & sani, removentur omnia quæ obstant & impediunt; & quid jam fit? prius quidem hæsitabas paullum, imbecillius assentiebas, & ubi ad integram mentem revertebaris, revocabas judicium; jam vero firmam adhibes fidem, & eo magis falleris, quoniam tam obstinate credis te non falli. Quot enim occurrunt visa, tot tibi imponunt præstigiatores: stagnum intuenti, stabilis tibi videtur humor, & serena aquæ facies, cum universæ interim particulæ tot rotentur vorticibus, ut nec concitatior Oceanus, nec incertior fluat Euripus; miraris Dædali arte lævigatum ebur, nescius interea quam asperi ex hac parte emineant montes, in quam vastas altera subsidat cavernas; placet salsamentis condire epulas, atque in ventrem imprudens dimittis sicas & cultellos. Quin Tu, Vir sapiens, valedicas aliquando infidis hisce rerum nuntiis, suboleat tibi quid in Te machinentur doli, tuum cautior sequere Democritum, nec nisi extinctis oculis veritatem speres coram intueri.

LIB. II. CAP. VI. *De Usu Logicæ.*

NEscio an necessitate aliqua ita constitutum sit, ut artis suæ quisque immodicus sit æstimator. Nec aliud forte quam studium est, quo Logici abrepti, Præceptis suis usus affingunt adeo magnificos. Intellectus nimirum vis, & Judicii sanitas majora longe sunt, quam quæ in primo Scholarum limine quisquam expectaret. Scientia una aut altera quidni Tyronibus posset inculcari? Ipsa vero Mens & ratio sicui præpostera à Natura data sit, Ecqua spes est fore, ut Præceptorum diligentia formari denuo possit & felicius recudi? Nos vero in tanta re quicquid arti tribuamus, non tam nostræ tribuimus quam illi (quæcunque sit) quæ in suo genere perfecta fuerit, Logicæ. Neq; enim in collaudandis Artibus Quid assecutæ sint respiciendum est, sed Quo colliment. Nec certe incredibile est, ut quam vim maturitate & usu Mens nostra attingere solet, eam Præceptorum ope facilius & plenius assequatur.

Quam enim inopinatum id foret, si Quæ corporis valetudinem, ingenium, mores, sensus denique ipsos consiliis suis munit & acuit, sibi soli per tot sæcula nihil prospexisset? Aut quid referret facultates istas perfici, quibus malesana mens præesset & moderaretur? Quin id potius æquum videretur, ut quam salvam esse maxime nostra interest, ejus mala facilius cederent remediis.

Et Profecto siquis vitam suam propius advertat, in ea forte sententia erit, ut alias calamitates necessitati sæpe tribuat; *Errorem* suæ semper ignaviæ. Quid enim fata commerentur, si quando nobis libeat falsam rem approbare aut incognitam? Aut cui syderi mala ista imputabimus, in quæ non Externa aliqua vi rapimur, sed Assensu præcipiti? Quidni vero Judicia nostra disciplinæ ope, contineri à *lapsu* possint? siquidem non nisi temeritatis cujusdam sit, quod *labantur*? Aut Quid est cur fraudes istæ arte *præcaveri* nequeant, quibus nemo capitur nisi *incautus*?

At forte, quantumvis circumspiciendo & hæsitando, ægre tamen efficitur, ut certitudini & evidentiæ non aliquando præcurrat assensio. Magni laboris est ita Mentem sibi semper invigilare ne erret. Nec forte est, cur cum Socrate quisquam

quam tanti emat ignorantiam. Quidni enim ſomniis illudi, dementius aliquanto ſit, quam noctem pati inquietam & vigilem? Majus ergo quiddam Arti noſtræ incumbit. Nec ſatis habet Inſidias explorare, niſi & verum Inquirentibus ad deſtinatam metam aperiat viam. Non enim Menti noſtræ nervos, tam à natura deeſſe exiſtimandum eſt, quam morbo aliquo perturbari & frangi. Quibuſvis fere difficultatum Labyrinthis, haud dubium eſt quin exitus reperiri poſſet, ſiquis greſſus ſuos filo ſciret moderari.

Quod cum aliorum autoritate, tum maxime Mathematicorum uſu & exemplis confirmatur. Hi enim cum nullam fere in Objectis ſuis agnoſcant difficultatem adeo inauditam & novam, quam non meditando tandem valeant evolvere; tantam tamen vim & facultatem prius aſſecuti non ſunt, quam certas ſibi inquirendi leges præſcripſerant. Nec id quidem veriſimile eſt, ut cum in Mathematicis Quæſtionibus nemo exitum reperturus ſit, niſi qui certa via & lege progrediatur; in aliis tamen Nodis parum referat, unde initium duxeris, quem Evolvendi ordinem aut rationem ſequaris. Nedum dubitari id poteſt, Quin ſiquam ſibi Geometræ methodum feliciter effinxerint, eam ex Logicorum artificio depromſerint, non ſuo. Quicquid enim ad rationem muniendam vel dirigendam à quocunque prolatum ſit, id Præceptis ſuis Ars noſtra annumerat.

Ariſtotelis vero id laudi tribuendum, quod quæ in ſingulis diſciplinis prius diſperſa erant, in unam tandem Artem coaluerint: proſpiciente merito id fato, ut quæ cæterarum Artium Procreatrix eſſet ac Mater, à tanto Philoſophorum duce efformaretur. Is ſiquidem, cum alia ex his Præceptis aliunde collegiſſet, alia ipſe Inveniſſet, utraque luculento & brevi (more ſuo) concluſit artificio. Quorum omnium utilitates, utcunque Lectori ex ipſo forte opere ſatis perſpectæ ſint, Alienum tamen non erit ſi hic denuo tanquam perorando recenſeantur.

§. 1. *De Logicæ Scopo Generali.*

INter cujuſque Artis præcepta, Quid aptum & proprium ſit, Quid alienum reponatur, non niſi ex ipſius Artis *Fine* eſt judicandum. Collimantis enim peritiam, unde æſtimare poterit qui non videt metam?

Finis Logicæ ſtatuitur eſſe Humanæ Rationis ſeu Intellectus Emendatio. Deficit Intellectus Ignorantia vel Errore: Quo-

ties nempe de Quæſtione Data, aut *Nil* Judicat, aut *non recte*. Officio ſuo proinde ſatisfacient Logici; ſi *primo*, Errorum inſidias detegendo Aſſenſionis impetum cohibeant & moderentur: *deinde*, aptas Indagini præſcribendo leges id efficiant, ut Quæ natura implicata & obſcura ſint, Evolvantur tandem & pateant. Ad Intellectus enim Valetudinem nihil ultra accedere poterit, ſi cum à lapſu ſecurus ſit, tum etiam ſatis magnam vim habeat ad Progrediendum.

Eſt itaque Logica Ars quædam Univerſalis dirigens Mentem in cognitionem; non hanc vel illam, definitam & certam: ſed indefinite quamcunque. Inter noſtram proinde & cæteras Artes hoc intereſt; quod illæ jus habeant certis limitibus incluſum; hæc æque latum cum ratione ipſa imperium. Illæ facultatem unam aut alteram perficiunt & limant: hæc quaſi in ſumma regni arce poſita Mentem ipſam munit Facultatum omnium Moderatricem. Quicquid denique Grave aut Magnum excogitandum venit, id Intellectus inveniet conſiliis Logicæ adjutus: Cæteræ Artes tanquam Provinciarum Præſides leges exequuntur, hujus autoritate ratas & tranſmiſſas.

Conſtituto vero Logicæ Scopo, de ſingulis Præceptis noſtris adeo obſcurum non erit quo referantur. Omnis enim Cognitio & Doctrina Scientiis, Hiſtoriis, vel Artibus continetur. Scientiæ Veritates *Neceſſarias* contemplantur. Hiſtoriæ *Contingentes* referunt. Artes ex utriſque in Humanos uſus tanquam corollaria educuntur. Ita quicquid in Mathematicis Artibus reponitur, iſtarum Scientiarum concluſionibus maxima ex parte innititur: Pariter Gubernandi, Vivendi, Cogitandi, Dicendi (& quotquot Naturam Humanam reſpiciunt) Artes, eo Perfectiores futuræ ſunt quo melius Natura illa explorata fuerit ex qua pendent.

Agnoſcimus ergo tandem, quæ de variis Mentis operationibus, à Noſtris adverti ſolent, Quo nomine ad Logicam referantur. Nec enim in Intellectus ſui Emendatione quiſquam alia magis proficiet via, quam ſi varia quæ nobis inſunt, ſecum recenſeat perceptionum genera, earum differentias notet, inquirat uſus, ſcrutetur origines, ſuam denique quam ſubtiliſſime poſſit diſſecet & rimetur Mentem. Nec enim ad ſolius corporis Medicinam refert præmitti Anatomiam.

§. 2. De

§. 2. *De Prima Parte Logicæ.*

SIngulari cuidam felicitati deputandum id foret ſi in quibus Artibus uberior fructus ineſt, earum quoque brevior eſſet diſciplina.

Ita tamen utramque laudem ſibi vendicant Mathematici, ut qui ſtudia ſua utiliſſime ediſci nunquam dubitent, aliquando etiam contendant nulla celerius abſolvi. In aliis enim doctrinis infinitus quidam labor eſt; utpote in quibus nemo adeo conſummatus eſt, quin illum ſemper alii plura evolvendo & legendo prætervehi poſſint: cum perfectiſſimus contra Geometra haberi debeat, non qui infinita inveſtigarit Theoremata, ſed qui eam facultatem & vim adeptus ſit, ut quodvis propoſitum, modo velit, poſſit eruere. Adeo ut huic in immenſa quadam eruditione memoria tamen minime ſit oneranda. De Numeris, Motibus, Figuris perinde eſt quid interroges; habet ſemper non in adverſariis, aut ſcriniis, ſed in mente ſua tanquam perenni quodam fonte, unde dubitanti poſſit ſatisfacere. Felix copia! quæ cum poſſidentem nec mole opprimat, nec cuſtodia ſollicitet, nec varietate diſtrahat: profundenti tamen novos uſque ſuggerit ſumtus: optanti præſens ſemper; nunquam exhaurienda; tantum intereſt, quæ didiceris utrum memoria quadam contineantur, an ita proprio judicio tibi perpenſa & ſubacta ſint, ut aliena autoritate non indigeant. Quod vero Mathematicorum doctrina præcipue ſit, quæ minime ex Magiſtrorum fide pendeat, non alia magis ratio eſt, quam quod illorum contemplationibus obſerventur× Ideæ nec inſolentia obſcuræ, nec præjudiciis ambiguæ. Ex ejuſmodi enim Ideis, veræ Definitiones & Principia ultro concitantur: Quæ rurſus tanquam fæcunda quædam ſemina ſatis amplum dabunt veritatum ſegetem, modo quæ vi & poteſtate in ſe continent, ope *Methodi* ſigillatim & diſtincte evolvantur. Quare non mirum eſt ſi Geometræ utcunque longiſſime omnium in Scientiis progreſſi ſint, jam paucis tamen regulis, Logicam ſuam complectantur.



verſentur

In cæteris contra ſtudiis, nihil difficilius quam ſimplices bene concipi rerum Ideas. In Phyſicis v. g. ſiquis Solis Naturam quærat, alium prorſus nobis mentis acies exhibet, alium obtrudunt ſenſus. *Ille* quidem Naturam definitam habet, Proprietates conſtantes ac immutabiles; *Hic* per fulgorem, æſtum aliaſque qualitates deſcribitur, pro Medii ratione

× obverſentur.

tione & Organorum fabrica discrepantes & varias, ut si penes Sensus esset judicium veritatis, tot fere essent varii Soles quot Homines Solem intuentes. Haud aliter in Ethicis; Nihil plerumque Ideis nostris fallacius, Nihil magis incertum & anceps. Adeo difficile est judicare, quid in illis sincerum & ad veritatis imaginem effictum sit, Quid ab affectibus nostris admisceatur.

Hinc vero Maxima oritur ambiguitas, adeo ut eidem voci diversissimæ à diversis alligentur Ideæ. Quas distincte & vere concipi quo magis interest, Eo diligentius Logicis in Hac Parte erat elaborandum.

§. 3. *De Secunda & Tertia parte Logicæ.*

QUodsi Vocum Ambiguitas definitionibus utcunque tolleretur; & quas Præjudicia nostra obruunt, illæ tandem Logicorum diligentia & arte extricari possent Ideæ; nullum tamen par esset tanto malo remedium. Nec in Vitiis perinde est seu ad sanitatem restitutus quispiam sit, seu bene semper valuerit: recrudescunt enim facile prima rerum vestigia; & quasi Propositi immemores, novis definitionibus veteres sensim substituimus Errores. Hinc fit ut cum in Mathematicis satis per se aperta fraus sit siquis Syllogismo quatuor terminos incluserit; in cæteris tamen Subjectis majori attentione & mora opus sit qua doli isti detegantur.

Rursus, Mathematicis controversiis studia omnia & affectus exulant; nec verisimilia gratiam habent; nec falsa autoritates tuentur; nec aliam sententiam discentes sibi persuaderi mallent, quam veram. Veritates itaque Mathematicæ cum tam bene dotatæ sint, non curant ornari. Quo simplicius proferuntur, eo melius. Adeoque nativam illam Argumentandi formam amant maxime, quæ medii cum utrovis termino aperte vel connexionem indicet, vel patefaciat dissidium.

Contra in communis vitæ usu, imo in cæteris fere Scientiis & Artibus, veritatem non adeo cupiunt homines, ut illius gratia Syllogismorum tædio se confici patiantur; Varietate quadam legentis fastidio occurrendum est; ardori, celeritate & cursu. Denique, licet cum Mathematicarum, tum cæterarum omnium Argumentationum vis pendeat ex comparatione utriusque termini cum Medio: raro tamen extra Scholarum parietes comparatio illa per se manifesta fit, aut

in

in sensus ultro incurrit. In Dicendo alia reticentur alia implicantur; novas ubique Argumenta subeunt formas, ad hominum aures, affectusque accommodatas. Hinc distinguendæ & notandæ veniunt, variæ enunciandi formulæ: omni denique Arte & opera elaborandum, ut veri investigari possint in disceptationibus Syllogismi, in Syllogismis propositiones, in propositionibus termini. Ut eo facilius tandem Argumentationum judicium sit, quo propius ad nativam & simpliciem formam reducantur.

Quare haud dubium est, quin fastidiosi nimis sint, qui Logicorum in excolendis his partibus, usque adeo contemnunt diligentiam. In Omni siquidem Arte & Doctrina Elementa quædam sunt, quæ etsi per se haud magnopere alliciant, sic tamen, ut cum ad altiora & majora ingressum dent, gratiam nostram egregie demereantur. Quemadmodum vero voces ex literis & syllabis, ita Disceptationes & Sermones, & quicquid in communi vita versatur, ex Propositionibus & Syllogismis conflantur & coeunt. Quorum proinde omnem varietatem ac vim qui sigillatim notarit ac perspexerit, is plenæ orationis cursum quidni facilius assequatur? Is enim Disceptationem integram in Principia sua resolvendo, & redundantia amputare, & mutila implere, & implicata evolvere poterit: adeoque veram Argumentationis vim eo facilius judicabit, quo minus intellectum aut perplexis impeditum habuerit, aut occupatum alienis.

Utcunque vero necessarium sit primis Artium Elementis bene imbui; nihil tamen infelicius, quam si quorum omnis fructus ab ulterioribus pendet, illa propter se edisci videantur. Iniquum est ab istis artificiis captari plausum, quibus is solus bene utitur, à quo in scenam nunquam proferuntur. In Veterum proinde Sophistarum reprehensionem merito incurrunt, qui in disputationum subtilitatibus ita sibi placent, ut ulteriorem hujus Artis scopum non videantur agnoscere.

§. 4. *De Methodo.*

Method. tradendi. QUicquid bene & feliciter excogitatum est, proculdubio gratiam habet, quocunque loco aut ordine proferatur. Nec præceptis suis aliena immisceri adeo graviter ferrent artium conditores, nisi, quemadmodum Præceptorum scopus ex Artis fine statui debet, ita è contra Artem ipsam ad præcepti alicujus sensum detorqueri sæpe contingeret.

Et

Et Profecto Tradendi Methodum è Logica excludi præstaret, quam ex illa ipsius Logicæ rationem & officium desumi. Quod nonnulli facere videntur; qui quæ fuse & ornate tradi postulant, illa ad Oratores transmittunt; quæ anguste & presse tractanda sunt, illa reservant Logicis. Quasi vero scribendi aut dicendi ratio quævis aut ab his edisci posset, aut ab illis sejungi. Oratori enim quid aliud propositum est, quam ut quod ipse de quacunque re intelligat & sentiat, id efficere ut aliorum pariter animis illucere & influere possit? quod si quando Nuda & simplici Oratione obtineri possit, nihil ibi magis proprium eloquentiæ erit quam carere ornamentis.

Neq; enim is Eloquens haberi debet, qui vel ornate & copiose loquitur, vel simpliciter & presse; sed qui tradendi rationem ubique servat, ad rem, ad tempus, ad discentis mentem sensusque accommodatam. Quare si ab Oratore disciplinæ Mathematicæ tradendæ forent, Quis dubitat, quin eo quo Geometræ ipsi solent, uteretur ordine? Vel potius, idem Author quatenus disciplinas istas teneret & sciret, Mathematicis accenseretur; quatenus cognitionem suam perspicua quadam & ordinata serie exponeret, Oratorum Arte uti videretur. Quid enim Eloquentis tam proprium quam Argumentum suum clare & luculente explicare? Utpote qui Lectorem nunquam demulcet, movet, excitat, nisi ut tandem possit docere. Male itaque Inveniendi & Tradendi partes miscentur: neq; qui ex Oratoris munere decerpere aliquid cupiunt, eo tam Artem suam locupletant, quam utramque perdunt.

Methodus inventionis. Contra Inventionis Leges, cum Logicæ propriæ sint, habent Mathematici pro suis: Illis nempe accensentur Scientiis, ad quas maximo cum fructu adhibentur. Non quod alia Subjecta, alio ordine Evolvenda sint: sed quod figurarum & Numerorum quo clariores Ideæ sint, eo facilius Proprietates investigentur.

§. 5. *De Prædicamentis, Universalibus, Topicis.*

QUemadmodum opiniones nostræ ubique fere immodicæ sunt, ita in Eruditis, Quæ magnam doctrinæ admirationem habent, ab artificio sæpe pendent non multum recondito: ut non nisi felicitatis aut casus aliquando sit; quod Divinæ cuidam excellentiæ ab ignaris tribuitur. Ne Exemplum longe nimis petamus, Quid tam incredibile videtur, quam ut omnem vegetantium copiam ac varietatem notare quispiam posset & memoria complecti? Quam infinitum

nobis

nobis videretur non Provinciæ alicujus aut regionis ſed cujuſvis horti luſtrum? Si tamen in ſtirpe tam multiplici & varia, quæ natura longiſſime à ſe invicem disjuncta ſunt illa primo, varia genera conſtituant; ſingulis deinde generibus ſuæ gentes ſubjiciantur; hæ rurſus novis diviſionibus, tanquam ex familiis coaleſcant; adeoque continuis Partitionibus Univerſum tandem genus exhauriatur: nemo admodum mirabitur ſi quæ tali artificio colligata inter ſe ſint Botaniſtarum animis non excidant. Adeo, quod haud ita pridem Humanas vires ſuperare viſum eſt, id patefacto Artificio, præ facilitate ipſa pœne contemnetur. Quo melius quidem illi de Humana gente merentur, qui gloriam ſuam exæquari mallent, quam Artificii fructus non evulgari. Qua vero Arte in ſylva ſua ordinanda & diſponenda Botaniſtæ utuntur, eam Logici ad Univerſalem rerum omnium cenſum ſolent adhibere. *Prædicamenta.* Prædicamenta enim nihil aliud ſunt, quam Natura ipſa perpetua Diviſionum ſerie pariter exhauſta; ſive Philoſophiæ compendium quoddam in tabulas relatum. Adeo ut ſi hæc rerum Genealogia plus oſtentationis habeat quam veritatis; Philoſophorum id inertiæ imputandum eſt, qui veras rerum cognationes nondum perveſtigarint; non Logicorum imperitiæ; qui hoc exemplo utcunque oſtendere voluerunt, quanta ſint, quæ ex ſolis Diviſionis legibus emanant commoda.

Sive enim quæ perlegeris memoria cuſtodienda ſint; efficit id continua Diviſionum ſeries ut quæ maxime divulſa & varia viſa ſint, nexu quodam inter ſe conglutinentur & cohæreant. Sive alium inſtituere cupias; partitio Argumenti in membra diſtincta & oppoſita, cum perdiſcendi oſtendat ſpem, diſcendi etiam augebit voluntatem. Sive denique quarum rerum cognitione ipſe leviter imbutus ſis, earum vim ac naturam penitius cupias indagare; eædem Tabulæ & doctis retinendi anſam dant, & indoctis inquirendi ordinem ſuggerunt.

Unica itaque Diviſio eſt quæ, quoties ad rationis cuſtodiam adhibetur Analyſis dicitur; *Analyſis.* quoties Orationi ipſi tradendæ intexitur, Methodi nomen habet; *Methodus.* quatenus vero in re ignota indicat ad quas partes ſit indagandum, Topica ſeu Locorum Ars appellatur. *Topica.* Quemadmodum vero Diviſiones rerum aliæ generaliores ſunt, aliæ certis Subjectis peculiares, ita Topica pariter vel communia erunt vel propria.

Quodcunque enim Subjectum propositum sit, illud considerari poterit vel quoad 1. Vocem vel rem. In Re rursus vel 2. Natura communior erit, vel Modus aliquis per quem Natura communis ad certam Speciem restringatur. Qui Modus iterum vel Essentialis erit vel 3. Accidentalis. Essentialis etiam 4. Primarius vel 5. Secundarius. In Omni itaque Re considerari possunt 1. Etymologia. 2. Genus. 3. Accidens. 4. Differentia. 5. Proprium. Adeo ut Prædicabilia Logica nihil aliud sint quam generalissimæ quædam Divisiones cuivis Subjecto competentes. Eodem itaque jure Topicorum vicem sustinebunt. Si enim totum aliquod ex omni parte versandum & indagandum sit, quid commodius quam si per partes possit percurri? Quicquid vero in quocunque Subjecto contineatur, illud (ut dictum est) vel genus erit vel Differentia, vel Proprium vel Accidens. His itaque sigillatim excussis de integra subjecti ratione constabit.

Universalia.

Topica vero Specialia, ex partitionibus fiunt certi Argumenti propriis. Ita si ex Politicorum doctrina illa omnia genera desumantur in quibus civitatis cujuspiam vis & salus constituitur: Illa genera inquirenti pro Topicis erunt; quorum ope vel in suæ reipublicæ cognitionem facilius devenire possit vel alienæ. Topica itaque cujuscunque generis non aliter à se invicem distinguuntur, quam ut ejusdem rei Divisiones magis vel minus generales. Quarum si illæ usum communiorem & latiorem habeant: hæ tamen ad inquisitionem eo validiores sunt, quo rem datam propius secant, & altius ingrediuntur.

Omnis vero inquisitio ad tria genera revocatur, vel enim ab hominibus interrogando quærimus; quo modo ex ægrotantium responsis morbi dignoscuntur. Vel à Natura experiendo; ita qui occultos hominum sensus expiscantur, eliciunt inopinantibus nota sibi, latentis animi indicia. Vel denique à mente nostra, Meditatione acri & studio: magna enim Quæstionum pars est quæ alio non egent oraculo. Celebratissima est Socratis ratio; qui quærendo docebat; discipulosque suos consulere videbatur, etiam cum erudiret: suavissima disciplina in qua simul & discendi fructum perciperes, & docendi voluptatem! Minime vero dubium est, si quis alius suæ mentis sinus tam felici ordine excuteret, quam ille alienos: quin multa pariter ex istis latebris educeret, quæ nunquam sibi à Magistro aliquo accepisse videretur.

Quo-

Quocunque vero ex his modo inquiratur, id ſemper agitur; ut apta media erui poſſint, quibus judicia noſtra innitantur. Et Meditanti proinde, pariter ac roganti eo brevior futurus eſt inveniendi labor, quo magis definitæ regiones fuerint, intra quas ſit indagandum.

Quemadmodum vero nulla arte effici poteſt, ut is in ægrotantis ſtatum apte inquirat, qui morborum rationes & notas prius non adverterit: ita haud mirum eſt ſi in dicendo vel ſcribendo, illi Topicis ad ineptias abutantur, qui quæ in Quæſtione ſua verſantur, eorum rationem omnem ac naturam ex pleniori quadam eruditione non hauſerint jamdudum notarintque. Quæ nempe in Animis noſtris jampridem congeſta ſint, illa locorum arte libentius evocantur. Memoriæ tarditatem Topica adjuvant, Eruditionis locum non implent.

CONCLUSIO.

DE Uſu Logicæ tam diu diſputatur, ut eo ipſo, nonnullis videatur non eſſe inſignis. Quicquid enim agant Homines, quaſcunque partes ſequantur, in ea ſententia ſatis conveniunt, ut nihil mallent quam labori ſuo parcere: nec ſuis ſtudendi rationibus, ita ſinguli addicti ſunt, quin omnes ament breviſſimum. Unde gravis ſuſpitio fit, ſiquod Artificium communi ſuffragio non approbetur, illud eo non tendere quo adeo diſcentes omnes votis propendent. Quæ opinio quidem adeo non falleret, niſi qui laborem tantopere refugiunt, maxime tamen recuſarent præſentem.

Artium vero ea fere ſemper dura lex eſt; ut quamcunque futuri levaminis ſpem habeant, pretio ſemper ſit emenda. Nunquam enim ita feliciter comparari potuit quin quæ ad minuendum noſtrum laborem excogitarentur, ea ipſa diſcentibus afferrent tædium. Adeo ut optimi cujuſque Artificii ope illis perpetuo carendum ſit, qui ſub initio juſtam moram nolint ſuſtinere. Utriſque itaque elaborandum cum ſit, hoc tamen intereſt; quod qui Elementorum tædium ſponte perferunt, his deinceps otium largo fænore rependatur: qui vero in primo limine ſibi parcere amant, illi in curſu ipſo gravius impediuntur.

FINIS.